JOHANNIS STELLÆ
Sacerdotis Veneti
OPVS
DE VITIS AC GESTIS SUMMORUM PONTIFICUM,
Ad IVLIVM II. *Pontificem deductum.*

Fideliter à litera ad literam denuo impressum,

SECUNDUM EXEMPLAR
Anno M. D. VII. *Basileæ editum.*



Anno cIↄ Iↄ c L.

IOHANNES STELLA

Sacerdos Venetus Reverendissimo in Christo Patri & Domino, Domino Dominico Grimano miseratione Divina Patriarchæ Aquilegiensi: nec non, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Marci Presbytero Cardinali, Salutem perpetuam dicit.

QUi opus aliquod editurus est, Reverendissime Domine, probatissimum Virum cui id destinari possit, debet eligere: ut ab ipso quasi perpetuam vitam, id est, famam liber recipiat. Quapropter cum nemo quam tu huic rei magis idoneus mihi visus esset, qui hujuscemodi lucubratione delectaretur: ad te potissimum confugi, hac Epistolâ hujus operis censorem te constituens. Etenim si quid inconcinnum, ineruditumque offenderis, hoc meo imbecilli studio attribues. Non enim hæ vires meæ sunt, ut audeam mihi (nisi te auspice) æternitatis nomen vendicare. Accipies igitur læta fronte hunc libellum meum de summorum Pontificum vita & moribus, tuo nomini dicatum. Quem cum legeris, non vereor quin te aliquando sit post Curiales occupationes, ob suam brevitatem, oblectaturus. Videbis enim multiformes vivendi ritus: quos omnes spero te vitæ tuæ sanctimonia, ac castigatissimis moribus esse superaturum. Vale.

PAPA I. *Anno Christi 33.*

PETRVS Papa & Apostolorum primus, hoc anno qui est secundus imperii Claudii annus, occiso ab Herode Agrippa Iacobo Apostolo, quinta decima die mensis Februarii, postquam per septem annos Asiaticas confirmasset Ecclesias, ab Herodis carcere liberatus, Romam venit: & ibi primam Cathedram tenere cepit, eo quod cum ipsa Civitas totius mundi caput esset, etiam pontificali sedi convenientem esse cernebat. Sedit autem in ea annis XXV & mensibus septem. Fuit hic natione Galilæus ex Bethsaida Civitate, Ioannis filius & Andreæ frater: qui post ascensionem Domini, cum septem annis apud Antiochiam urbem primum sedisset, liberatus ut præfertur ab Herodis carcere, statim Romam è Hierosolyma ad expugnandum Simonem magum venit. Ibique prædictis annis usque ad ultimum Neronis annum sacerdo-

Sub Nerone Petrus cruci affixus est.

cerdotalem tenuit dignitatem. Ac denique à Nerone cruci affixus, martyrio coronatus eſt: ſed capite ad terram verſo & pedibus in ſublime levatis: ita enim mandavit, aſſerens ſe indignum, quod ſic cruci affigeretur, ut ſuus Dominus Ieſus Chriſtus affixus fuerat. Quo mortuo ſepultus eſt in Vaticano, via aurelia in hortis Neronianis. Hic ille eſt Petrus qui ſupra mare ad Chriſtum ambulavit: qui in Domini transfiguratione,& puellæ ſuſcitatione à Domino electus teſtis fuit: qui ſtaterem in ore piſcis invenit: qui tria millia hominum in Feſto Pentecoſtes ſua prædicatione convertit: qui Ananiæ & Saphyrę uxoris mortem prædixit, quique Æneam paralyticum curavit,& Cornelium baptizavit:atque Tabitham à morte ſuſcitavit: quive umbra ſui corporis multos infirmos curavit. Hic inquam ille eſt Petrus, quem his verbis Chriſtus allocutus eſt, Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cælis: tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ac tibi dabo claves regni cælorum, poteſtatem videlicet ligandi & ſolvendi. Et licet ſimpliciter majorum & minorum Sacerdotum diſcretio ab ipſo Domino

Opera Petri

noſtro

nostro Iesu Christo exordium perhibeatur sumptum, qui XII Apostolos tanquam majores Sacerdotes,& LXXII. discipulos, quasi minores Sacerdotes instituerit: Petrum tamen hunc quasi in summum delegit Pontificem & sacerdotem, cum ei præ omnibus, & pro omnibus claves regni Cælorum tribuerit,& à se petra Petri ei nomen imposuit, atque pro ejus fide se specialiter rogasse testatus est: & ut ipse cæteros confirmaret, ei injunxit, dicens: Ego pro te rogavi Petre, ut nunquam deficiat fides tua, & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos: ac sic Petro huic, & reliquis Apostolis concessum est, à Deo habere præ cæteris primatum: & ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas,id est caput & principium teneret Apostolatus:qui & eandem formam suis successoribus & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt: & non solum hoc in novo Testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit: unde scriptum est,Moses & Aaron in sacerdotibus ejus, id est primi inter eos fuere: hæc tamen Apostolica sedes caput & cardo à Domino, & non ab alio est constituta.Primus itaque hic Petrus quadragesimale jejunium instituit, ut patet in Canone

Iejunii quadragesimalis institutio.

xcIII, di. Can. Si inimicus est: hic præterea Linum & Cletum sacerdotes consecravit, ut non valente ipso Christianis sacerdotale officium exhiberent: nec multò post Clementem virum sanctissimum consecravit Episcopum, cui & omnimodè Ecclesiam à Christo sibi traditam commendavit. His itaque ita ordinatis una cum paulo Neronis jussu necatus est.

Papa II. *Anno Christi 70.*

LInus Papa secundus, hoc anno qui est ultimus Neronis beato Petro in Pontificatum succedens, sedit annis xI. mensibus tribus & diebus xII. Vir certè moribus & sanctitate præclarus: qui ex præcepto magistri sui Petri constituit, ne qua mulier, nisi velato capite, unquam templum ingrederetur. Fuit enim hic natione Tuscus, ex patre Herculiano: qui cum dæmones etiam fugaret, mortuosque ad vitam reduceret, tandem à Saturnino Consule, cujus filiam à dæmonibus liberaverat, capitali sententia punitur, & martyr Christi efficitur, ac xI. Kal. Octobris in Vaticano juxta corpus beati Petri, sepelitur: & ea die ejus natale celebratur: quod quidem sanctissimum corpus, ut ajunt, postea

postea à quodam Gregorio Episcopo Ostiensi, in Ostiam civitatem translatum,& in divi Laurentii templo honorifice conditum fuit: hic sacros ordines in urbe celebrans decem & octo presbyteros & undecim Episcopos creavit. Scripsit autem his res gestas beati Petri Magistri sui,& maximè ejus cum Simone mago contentionem.

PAPA III. *Anno Christi 81.*

CLETVS Papa, natione Romanus, patre Æmiliano, hoc tempore Clemente adhortante, pontificum munus suscipiens, sedit annis XI, mense uno & diebus XI. Vir certè optimus atq; sanctissimus: qui nihil omninò prætermisit quod ad augendam Ecclesiam Dei pertinet: quam cum optimè pro tempore occurrenti constituisset, sub Domitiano Cæsare martyrium percepit,& in Vaticano apud beati Petri corpus V. Kal. Maji sepultus fuit. Hic ex præcepto Petri XXV. Presbyteros mense Septembrio in ordinem redegit: & primus litteris Apostolicis, salutem & Apostolicam benedictionem scripsit: sunt tamen qui dicant hunc & prædecessorem non in Pontifices sedisse, sed ut summi pontificis coadiutores: & secundo Ve-

spasiani anno Lino successisse: cujus natale VI. Cal. Maii celebratur.

Papa IV. *Anno Christi 92.*

Clemens Papa primus, natione Romanus, de regione Cęlii montis, patre Faustino, post Cletum Pontificem, sedit annis IX, mensibus II, diebus X. Hunc beatus Petrus, ut ex Epistola ad beatum Iacobum Hierosolymitanum missa constat, post se Romanum constituit Episcopum: sed cum esset omnium modestissimus, Linum & Cletum prædictos sponte in honore sibi prætulit: qui cum doctrina & religione ac pietate insignis haberetur: innumeros penè homines ad Christi fidem convertit: quibus & aliquos tractatus & Epistolas Ecclesiæ nomine edidit: hic fecit ordinationes duas in Decembrio mense, presbyteros decem, diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim. Obiit autem Martyr Christi sub Trajano Imperatore, qui etiam sepultus est in Græcia IX. Kal. Decembris: & cessavit Episcopatus dies XXII.

Papa V. *Anno Christi 101.*

Anacletus Papa, natione Græcus, patria Atheniensis, patre Antiocho

tiocho natus: Clementi in Pontificatu ſuccedens, ſedit annis IX. menſibus II. & diebus X. Hic itaq; vir optimus fuit: & primus memoriam beati Petri compoſuit, & ſeorſum à plebe loca, ubi ſepelirentur Martyres aſſignavit: ſed & inſtitutis ac moribus Romanã Eccleſiam confirmaturus, hic unam tantum ordinationem in menſe Decembri ordinavit, in qua quinque Presbyteros, tres Diaconos, & ſex Epiſcopos ordinavit: denique ſub Traiano Principe, pro fide Chriſti ſupplicio peremptus, vacavit ſedes diebus XIII.

PAPA VI. *Anno Chriſti 110.*

EVARISTVS Papa, natione Græcus, patre Iudæo nomine Iuda, ex Civitate Bethlehem, natus: poſt Anacletum Pontificem ſedit annis IX. menſibus II. diebus X. Vir ſanè juſtus, integerque, qui, ut Gratianus in Canone refert, titulos in urbe Roma primus Presbyteris diviſit: & ſeptem Diaconos in ordinem redegit, qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent, propter ſtylum veritatis, qui poſſet ſibi imponi. Hic ter ordinationes in menſe Decembrio celebrans, ſex Presbyteros, duos

Diaconos, & quinque per diversa loca, ordinavit Episcopos: tandem & ipse Martyrio coronatus est: ejus memoria VII. Kal. Novembris Ecclesia celebrat: & tunc sedes post ejus obitum vacavit dies XXIX.

Papa VII. *Anno Christi* 119.

Alexander Papa primus, natione Romanus, ex regione Capite-Tauri, patre Alexandro natus, Evaristo Pontifici succedens, sedit annis X. mensibus VII. & diebus II. Vir quidem ætate juvenis, sed moribus, scientia ac sanctitate incomparabilis. Cujus rei gratia etiam magnam Senatorum partem convertit ad Dominum: qui rei divinæ curam diligentissimè gerens, nonnulla, sicut Gratianus in decretis refert, constituit decreta: statuit ut una tantum Missa in die celebraretur: De cons. dist. 1. c. Sufficit. Oblationem etiam non ex fermento, sed ex azymo, ut antea consueverat, fieri mandavit: De cons. dist. 2. c. In Sacramentorum. Voluit etiam aquam in Consecratione sanguinis Christi vino admisceri, quo significatur Christum Ecclesiæ conjunctum esse. Demum post innumera miracula: inter quæ Balbinam Quirini tribuni filiam

Senatorii Conversio.

liam ſanavit, & poſtquam ipſum tribunum, cum omni domo ſua baptizaſſet, cum Eventio & Theodoro Diacono v. Kal. Maij martyrio coronatur: & via Numentana ubi interfectus fuerat, ſepelitur: & tunc ceſſavit ſedes dies xxv.

PAPA VIII. *Anno Christi 129.*

SIXTVS Papa primus, natione Romanus, patre Paſtore natus, poſt Alexandrum Pontificem ſedit annos x. menſes III. dies XXI. Vir ſanè bonus & rei divinæ, ut par erat amator: cujus curam optimè gerens, conſtituit, Gratiano teſte, ne à quoquam niſi à miniſtris ſacrorum ſacrata vaſa tangerentur: & quam maximè à fœminis. Et ne corporalia ex alio quam ex lineo panno puriſsimo, candidoque fierent. Et ne Sacerdotes Miſſam niſi ſuper altare celebrarent. In Miſſarum quoque celebratione mandavit: ut Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth cantaretur: quare primo, ut dictum eſt, omnium Miſſarum acta ſimpliciter tractabantur: hic quendam nomine Peregrinum Epiſcopum, genere Romanum, miſit in Gallias: qui cum eos in fide confirmaſſet, ibidem martyrio coronatus eſt. Denique Sixtus hic tribus

Ne mulieres ſacra contingant.

Hic inſtituit ut Sanctus in Miſſis cantaretur.

ordinationibus in Septembrio mense habitis: in quibus Presbyteros, Diaconos, ac Episcopos per diversa loca creavit multos. Martyrio coronatur, & in Vaticano apud sanctum Petrum sepelitur.

Papa IX. *Anno Christi 139.*

Telesphorus Papa, natione Græcus, patre Anachorita: post Sixtum Pontificē sedit annis XI. mensibus III. & diebus XXII. Vir sanè singularis doctrinæ & virtutis: qui, Gratiano testante, constituit, ut jejunium quadragesimale, sex Hebdomadarum, ante Pascha resurrectionis à cunctis Christianis observaretur, sicut habetur 4. Dist. c. Accusator: utque in natali Domini nostri Iesu Christi, tres Missæ à quolibet sacerdote celebrarentur: mandavitque ut in principio Missæ hymnus ille cantaretur quem Angeli cantarunt, scilicet Gloria in excelsis Deo. Tandem & ipse quum quatuor ordinationes in Decembrio mense celebrasset, illustrissimum pro Christo duxit martyrium: cujus corpus in Vaticano apud beatum Petrum sepultum perhibetur: quo mortuo cessavit Papatus dies VII.

Iejunii quadragesimalis institutio.

Tres Missæ in natali Domini.

Gloria in excelsis Deo.

PAPA X. *Anno Christi 143.*

IGINVS Papa, natione Græcus, patria Atheniensis, patre Philosopho, post Telesphorum Pontificem, sedit annis quatuor, mensibus tribus, diebus quatuor. Vir certè doctissimus, qui Epistolam eruditionis plenam, de unitate, ac trinitate Dei omnibus Christi fidelibus legendam scripsit: sed & clerum prudenter in ordinem redigens, gradus omnes distribuit: item voluit unum saltem patrinum & unam matrinam in baptismo vel confirmatione interesse. Denique cum de Deo, deque hominibus benè meritus fuisset, & ordinationes ter in Decembrio mense habuisset, III. Idus Ianuarii martyrio coronatus est, & apud sancti Petri Basilicam sepultus: quo mortuo cessavit Episcopatus dies tres.

PAPA XI. *Anno Christi 147.*

PIVS Papa primus, natione Italus, patria Aquilegiensis, patre Rufino, post Iginum sedit annis XII, alii autem IX. tantum dicunt: vir sanè doctus atq; eruditus, statuit ne qua mulier virgo sacro velamine consecraretur, nisi XXV.

annorum esset ætatis, & id in die Epiphaniæ fieret: constituit quoque, ut sanctum Domini Pascha à fidelibus Christianis non nisi Dominico celebraretur die: de Cons. dist. 3. c. Nosse vos volui: de hoc quidem magnam consuetudinem cum Hermete habuit, qui librum titulo Pastoris prænotatum scripsit, quo quidem in libro Angelus Pastoris personam induens ei mandavit, ut omnibus persuadeat Pascha die Dominico celebrari, quod & fecit: verum post ingentes virtutes, habitis ter ordinationibus, mense Decembri Christi martyr obiit, & apud Beati Petri corpus in Vaticano sepelitur: cujus natale secundo Idus Iulii celebratur: & tunc cessavit Episcopatus dies XIII.

Pascha quo die celebrari debeat.

Papa XII. *Anno Christi 159.*

Anicetus Papa, natione Syrus, de Vico Marco, vel, ut Damaso placet de Homusia patre Ioanne; post Pium Pontificem sedit annis IX. mensibus IV. & diebus iij. Vir utiq; sanctitate & moribus insignis: qui utilitati Ecclesiæ consulens, ne moribus insolentium labefactaretur, hic instituit, ne Clericus secundum præceptum Apostolorum omninò Comam nutriret, tandem verò post-

postquam ordinationes quinque in Decembrio mense habuisset, multosque Episcopos ac Sacerdotes & Diaconos creasset, xv Kal. Maij martyrio coronatus est: & via Salaria in Calixti cimiterio sepultus: quo quidem die ejus natale celebratur: & tunc vacavit sedes dies VII.

PAPA XIII. *Anno Christi 168.*

SOTER Papa, natione Campanus, ex Fundano oppido, patre Concordio natus, post Anicetum Pontificem sedit annis IX. mensibus III. & diebus XXI. qui multis in periculis licet constitutus fuerit, animum tamen ad res divinas quoad potuit semper convertit: & multa eam ob rem, Gratiano testante, constituit, videlicet, ne Monacha aliqua ullas attrectaret palas, seu calices, patinas, corporalia, & his similia contingere præsumeret: neve thus ante altare poneret, dum sacrificia fierent. Deniq; cum quinquies ordinationes in Decembrio mense celebrasset, in quibus presbyteros octo, Diaconos novem, & Episcopos per diversa loca undecim creavit, decimo kal. Maij martyrio coronatur: & via Appia in Calixti cimiterio sepelitur: & tunc vacavit sedes dies XXI.

Ne moniales sacra contingant.

PA-

Papa XIV. *Anno Christi* 177.

Eleutherius Papa, natione Græcus, patria Nicopolitanus, patre Habundio, post Sotherem pontificem sedit annis xxi. mensibus vi. diebus v: hic cum pontificatum iniisset, pax Ecclesiis data est. Hic in principio sui pontificatus à Lucio Britannico Rege epistolam accepit, quâ rogabatur ut se suosque omnes baptizare dignaretur: cui Fugatium & Damianum viros optimos misit, qui regem ipsum & populum omnem baptizarent: quo baptizato data est quasi ubique pax Ecclesiis & nomen Christi mirum in modum excrescere cœpit, & quam maximè Romæ ubi multi nobiles cum conjugibus & liberis baptizati sunt. Tandem ordinationibus ter in mense Decembrio habitis, ubi Presbyteros & Diaconos atque Episcopos, per diversa loca creavit: multos sine martyrio dies obivit: cujus corpus apud sanctum Petrum in Vaticano vii. Kal. Iunij sepelitur, quo etiam die ejus festum celebratur: & tunc sedes vaçavit dies quinque.

Papa XV. *Anno Christi* 198.

Victor Papa primus, natione Apher, patre Felice, post Eleuthe-

rium

rium pontificē ſedit annis x. menſibus III. & diebus x. Qui Chriſtianæ reipublicæ curam optimè gerens, Gratiano teſtante, conſtituit ut Chriſtiani aliqua injuria infenſi qui omnino reconciliari recuſarent, ab omnium communione ſubmoverentur, ut habetur in canone 91. diſt. c. Perlatum. Conſtituit etiam ex Eleutherii prædeceſſoris ſui pontificis ſententia, ut ſanctum Domini Paſcha Dominico die celebraretur, videlicet XIV. luna menſis Martij uſque ad XXI. ejuſdem menſis. Nam uſque in hodiernum tempus ex veterum conſuetudine Paſcha ſemper cum Iudæis XIV. luna celebratur: cujus quidem decretum poſtea in Concilio Niceno confirmatum fuit, ut omninò poſt XIV. lunam ejuſdem menſis celebraretur, ne Iudæos imitari viderentur: hic cum doctiſſimus eſſet pontifex, quædam de regionibus compoſuit volumina: quibus compoſitis & duabus ordinationibus in Decembrio menſe celebratis martyrio coronatur, & apud ſanctum Petrum in Vaticano ſepelitur: cujus feſtum quinto Kal. Auguſti celebratur: & tunc ſedes vacavit dies XII.

PA-

Papa XVI. *Anno Christi 208.*

Zepherinus Papa, natione Romanus, patre Habandio: post Victorem pontificē sedit annis ix. & sanctissimus fuit vir: eo quod divinæ rei magis quam humanæ semper intentus fuerit: statuit ut consecratio divini sanguinis in vitreo vase, non autē in ligno ut antea fiebat consecraretur: de cons. dist. c. Vasa. Hanc tamen constitutionem subsequentes pontifices immutaverunt: quare & in Remensi & Tyburensi consilio statutum fuit, Calices fieri ex auro, aut argento, vel stanno saltem. Censuit quoque ut omnes Christi fideles annos pubertatis attingentes, singulis annis, in solenni die Paschæ publicè communicarent: de cons. dist. 2. c. Relatum. Quod quidem institutum Innocentius III. postea non ad communionē tantum, verum etiam ad confessionem delictorum traduxit: ut extra de pe. & re. Omnis utriusq; sexus: voluitq; præterea ut omnes presbyteri adessent Episcopo celebranti: celebratis denique quatuor in Decembrio mense ordinationibus, ubi presbyteros XIII. Diaconos VII. & Episcopos per diversa loca XIII. creavit, martyrio coro-

Calices debent fieri ex auro, argento aut stanno.

coronatus est, & via Appia in Calixti cimiterio sepelitur: cujus etiam natalitium VII. Kal. Septembris celebramus: & tunc sedes vocavit dies VI.

PAPA XVII. *Anno Christi 217.*

CALIXTUS Papa primus, natione Romanus, patre Demetrio ex regione Ravennatum, post Zepherinum pontificem sedit annis V. mensibus II, & diebus X. Vir siquidem divinus atque prudentissimus, qui licet in multa rerum perturbatione pontificatum incepisset, nequaquam tamen à bono pontificis instituto discedere voluit: sed, Gratiano referente, constituit, ne quis de cætero in Episcopum consecraretur, nisi canonice electus fuisset: sicut habetur in canone LXII. dist. c. Nullus in Episcopum. utque Clerici qui ad sacros ordines essent promovendi, ab uxoribus abstinerent: LXII. Dist. c. Presbyteris. Constituit item quater in anno jejunium, id est vernale, æstivale, autumnale, & hyemale: c. Iejunium. Item ut Sacerdotes incestuosi nullam accusandi alios haberent facultatem III. q. IIII. c. Consanguineorum. Ferunt hunc etiam templum beatæ Mariæ Virginis in regione transtyberina ædificasse:

Iejunii quatuor temporum institutor.

Cimiterium Calixti. ficasse: cimiteriumque, suo nomine in via Appia condidit; ubi & jam pridem multa sanctorum martyrum tumulata fuerant corpora, quod usque in præsentem diem Calixti cimiterium appellatur. Verum cum Palmachium virum consularem, & Simplicium Senatorem, atque Felicem nobilem virum cum eorum domibus baptizasset & ad martyrii palmam incitasset, atque multos Presbyteros, Diaconosque, ac Episcopos ordinasset, II. Idus Octobris ab Alexandro Imperatore martyrio coronatus est: cujus Corpus post XVII, diem ab Asterio ejus presbytero in Cimiterio Calepodii sepultum fuit. Ejus autem natale II. Idus Octobris celebrari jussum est.

Papa XVIII. *Anno Christi 222.*

Vrbanus Papa primus, natione Romanus, patre Pontiano, post Calixtum pontificē sedit annis VIII, & mensibus II, & diebus XII. Vir siquidem doctrinâ & sanctitate vitæ eminentissimus: cujus rei gratia multos gentiles ad fidem Christi traxit: inter quos fuere Valerianus Ceciliæ virginis sponsus, & Tiburtius ejus frater. Hic multa, Gratiano teste, constituit: & quam ma-

ximè

ximè mandavit nequis de cætero in Epiſcopum eligeretur: niſi prius aut Sacerdos aut Diaconus conſecratus fuiſſet: ut habetur in Canone LX. diſt. c. Nullus in Epiſcopatu. Conſtituitque ac conceſſit, ut futuri Clerici primam tonſuram de manu Abbatis poſſent accipere, Epiſcoporum vice. Iejunia etiam quatuor temporum declaravit à prædeceſſore ſuo inſtituta, quia hominum imperitia confundebantur, LXXIX. diſt. c. Statuimus. Denique cum hæc aliaque multa conſtituiſſet: poſtquam quinquies in Decembrio menſe ordinationes celebraſſet, ubi multos Diaconos & Presbyteros, Archiepiſcopos per diverſa loca creavit: poſt Valeriani & Tiburtii atque Ceciliæ virginis martyrium, & ipſe IX. Kal. Iunii pro Chriſto martyrium ſumpſit: cujus corpus in Cimiterio Prætextati, via Tiburtina ſepultum dicitur: poſt ejus mortem ceſſavit Epiſcopatus dies XXX, cujus feſtum IX kal. Iunii celebratur.

PAPA XIX. *Anno Chriſti 230.*

PONTIANVS Papa, natione Romanus, Patre Calphurnio, poſt Vrbanum Pontificē ſedit annis VI. menſibus II. diebus II. Vir quidem optimus atque

atque sanctissimus, qui instigantibus quibusdam idolorum ministris ex mandato principis captus, & in Sardiniam insulam cum Philippo ejus presbytero deportatus est: ubi per aliquod tempus multas calamitates & tormenta pro fide Christi perferens tandem occubuit: cujus corpus postea Fabianus pontifex magna veneratione & populi supplicatione Romam reportari fecit, & in Calixti cimiterio, viâ Appiâ sepeliri, XIII Kal. Decembris: quo die ejus festum celebrari jussum est: eoque defuncto sedes vacavit dies XI.

PAPA XX. *Anno Christi 238.*

CYRIACVMQUE Papam Pontiano huic successisse, unoque anno & tribus mensibus sedisse multi ferunt: sed quia contra Patrum voluntatem papatui cessit, atque cum XI virginum millibus quas penè omnes baptizaverat Agrippinam Vrbem concessit: in pontificum Catalogo positus non est: cum tamen & ipse virgo existens cum virginibus illis martyrio coronatus sit.

Vrsula virgo.

PAPA XXI. *Anno Christi 239.*

ANTHERVS Papa, natione Græcus, patre Romulo, post Pontianum & Cy-

Cyriacum pontifices, ſedit annis iij, menſe uno, diebus xxi. Vir optimus atque ſanctiſſimus: primus inſtituit & mandavit, ut martyrum res geſtæ diligenter exquiſitæ à notariis conſcriberentur: ut reſcriptæ agnoſcerentur: quibus geſtis, cum unum tantum creaſſet Epiſcopum, martyrii palmam & ipſe adeptus eſt, & tertio Nonas Ianuarij in cimiterio Calixti, via Appia ſepelitur: quo quidem die ejus feſtum agitur: quo mortuo ſedes vacavit dies XIII.

Geſta Martyrum.

PAPA XXII. *Anno Chriſti 242.*

FABIANVS Papa, natione Romanus, ex patre Fabiano natus, poſt Antherum pontificẽ, ſedit annis XIII. menſibus XI. & diebus XI. Hic mortuo Anthero pontifice, dũ in via de futuro pontifice deligendo colloqueretur: confeſtim divinitus quædam Columba ſuper caput ejus, ut Martinus tradit, aſtitit dicens, Romæ Epiſcopus coronaberis; & divinitus ſic electus, ſtatim ſeptem Diaconibus regiones diviſit, qui martyrum res geſtas ſummâ diligentiâ inveſtigarent & ſcripto mandarent. Idem quoq; cimiterium protorum martyrum dignè ædificavit. Vetuit quoque nequis

quis ex consanguineis uxorem duceret, usque ad quintum consanguinitatis gradum. 35. q. iv. c. De propinquis. Voluit prætereà ut quilibet Christianus ter in anno communicaret; scilicet in pascate resur. pentecostes & nativitatis Domini. De Cons. dist. 1. c. Etsi nota. Et ut singulis annis sanctum Chrisma in Cœna Domini renovaretur, & vetus in Ecclesia combureretur. De Cons. dist. 3. c. Litteris vestris: hujus tempore Novatiana hæresis ortum habuit; quam & multo labore exterminavit. Denique cum multos Diaconos, Presbyteros, atque Episcopos per diversa loca creasset, sub Decio Cæsare martyrio coronatus, in cimiterio Calixti sepelitur; cujus natalitium, una cum divo Sebastiano xiv. kal. Februarij celebratur: quo mortuo Episcopatus cessavit dies sex: ad hunc Origenes, multis sublatis hæresibus, de ordine fidei servando multa conscripsit.

Hic præcepit sanctum Chrisma renovari in Cœna Domini.

Papa XXIII. *Anno Christi 255.*

Cornelius Papa, natione Romanus, ex patre Chastino, post Fabianum Pontificem, sedit annis iii. diebus x. Vir certè eruditissimus, qui Hieronymo teste, multas Epistolas scripsit:

psit: ex quibus unam ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana & Italica atque Aphricana scripsit; aliam Epistolam de Novatiano hæretico & sociis ejus; tertiam de Synodi gestis, & quartam ad eundem Fabium Episcopum, valdè prolixam de Novatiani hæresi: ad Episcopum verò Cyprianum martyrem extant Epistolæ religionis & fidei plenæ: hic itaque, Gratiano teste, multa constituit: tamen prius quam in exilium relegatus fuisset, Lucinæ matronæ Sanctissimæ precibus, corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumba levavit, & Paulum quidem in via Hostiensi, ubi fuerat decollatus, in ipsius Lucinæ prædio collocavit: Petrum verò ubi martyrium passus fuerat, videlicet in Vaticano, ubi etiam nunc requiescit, reponere fecit. Creatis denique diversis temporibus in Decembrio mense multis Sacerdotibus, Diaconibusque ac Episcopis, post exilium suum cæso ore ejus plumbatis & aliis flagellis, cum aliis xx. jussu Decii Cæsaris Romæ decollatus est: sed & miles quidam nomine Cerealis cum uxore sua Salustia, quos quidem Pontifex in fide instruxerat, sub eodem die capite plexus est: quorum omnium natale XVIII.

Translatio corporum Apostolorum Petri & Pauli.

Kal.

Kal. Octobris celebratur: & tunc in ejus obitu vacavit sedes dies xxxv.

Papa XXIV. *Anno Christi 258.*

Lucius Papa primus, patria Romanus, patre Porphyrio, post Cornelium Pontificem, sedit annis III. mensibus ij. diebus x. Hunc Volusianus Imperator, primò exilii pœna damnaverat: sed eo extincto ab exilio liberatus, Romam gloriosus rediit: qui etiam antequam ad martyrium duceretur, omnem Ecclesiæ potestatem Stephano Archidiacono suo commisit: & postquam martyrio vitam finivit, in Cimiterio Calixti, viâ Appiâ VIII. Kal. Septembris sepultus est: quo quidem die ejus natale celebratur: & tunc papatus cessavit dies xxv.

Papa XXV. *Anno Christi 261.*

Stephanus Papa, natione Romanus, patre Iulio, post Lucium Pontificem sedit annis III. & mensibus ij. Vir sanè optimus, hic instituit ne Sacerdotes & Levitæ sacris vestibus alibi quam in Ecclesia ad peragenda Sacramenta uterentur: De Cons. dist. I. c. Vestimenta. Denique cum verbo & exem-

Sacris vestibus in Ecclesia uti debent.

exemplo, ac opere multos ad fidem Christi convertisset, à Galieno & Decio prædicto quæsitus, una cum plerisque suorum, ipso Missam celebrante, ad martyrium raptus, capite truncatus, & in Calixti Cimiterio IV. Nonas Augusti sepultus, quo die ejus natale celebratur: & vacavit sedes diebus XX.

PAPA XXVI. *Anno Christi 264.*

SIXTVS secundus Papa, natione Græcus, patria Atheniensis, post Stephanum pontificem sedit annis II. mensibus IX. & diebus III. Vir certe præter sanctitatem doctissimus & philosophus clarissimus, atque inter pontifices, non solum temporis sui, sed & superiorum temporum literatissimus: qui cum longe ante pontificatum prædicando & docendo, omnem peragrasset Hispaniam, & inter cæteros Laurentium & Vicentium Levitas, præcipuos sibi delegisset discipulos: cum eisdem postea Romam rediens, omnium consensu pontifex maximus declaratus est: qui pontificatu inito, ut Gratianus scribit, constituit Missas de cætero super altari consecrato à Sacerdotibus celebrari debere. Vt habetur in Canone Dist. I. c. Vestimenta. Verum cum

summopere hæreses quasdam exortas, videlicet Sabellianorum, Cerinthianorum, & Nepotianorum anniteretur extinguere, ab iisdem apud Galienum, & Decium accusatus, quod fidem Christi contra Augustorũ decreta prædicaret, ad pœnam quæsitus & damnatus est. Cumque ad supplicium duceretur, Laurentius ejus Archidiaconus, & filius adoptivus, cœpit flere, dicens, Quo progrederis sine filio pater? quo Sacerdos sine ministro properas? Cui Sixtus, Ego, inquit, non te desero fili mi: sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina: post triduum me sequeris Sacerdotem Levita. Atque ita hic sanctissimus pontifex uno die cum sex Diaconibus, Felicissimo scilicet, & Agapito, Ianuario, Magno, Innocentio & Stephano passus est: pontificis autem corpus, viâ Appiâ, in Calixti Cimiterio sepultum fuit: reliquorum vero corpora in Cimiterio Prætextati, viâ Tiburtina: & horum omnium festa VIII. Idus Augusti celebrantur: & tunc vacavit sedes dies XXXV.

Papa XXVII. *Anno Christi 266.*

Dionysivs Papa, cujus originem non habemus, hoc anno

post Sixtum pontificum munus suscipiens sedit annis VI. Alii tantum duos sedisse dicunt: sed Eusebius IX. annis ipsum sedisse asserit. Hic primus ex Monachis factus est pontifex, qui non modo sanctitate: sed doctrina insignis existens, hic in urbe Roma primum Ecclesias & Cimiteria presbyteris divisit: deinde foris diœceses ac parochias similiter divisit, mandans ut quisque suis finibus contentus esset: ut etiam habemus XIII. q. I. c. Ecclesias: hic licet decrepitæ esset ætatis, Concilium in Antiochia civitate contra Paulum ejusdem urbis Episcopum, celebrari mandavit: cui quum propter senium interesse non posset, ad eundem tamen per Marinum quendam Alexandrinum Episcopum litteras dedit: tandem & ipse martyrio coronatus, in Calixti Cimiterio sepelitur: post quem vacavit sedes dies VI.

PAPA XXVIII. *Anno Christi 272.*

FELIX Papa primus, natione Romanus, patre Constantino, post Dionysium pontificem sedit annis quatuor, mensibus III. diebus XV. Vir utique justus & omni laude dignus: qui & martyrum devotioni consulens man-

davit, ut singulis annis sacrificia martyrum à Christi Sacerdotibus de cætero celebrarentur. Vtq; nullibi quam in loco sacro à viris Ecclesiasticis missa celebraretur, ut habetur in Canone, de Cons. dist. 1. c. Sicut non alii. Dedicationes quoque Templorum etiam solenniter celebrari, mandavit: quod si de consecratione alicujus Ecclesiæ ignoratum fuerit, utpote vetustate & abolitione murorum, consecrari denuo mandavit, de Cons. dist. 1. c. Ecclesiis: & denique in Septembrio mense, multis creatis Presbyteris, Diaconibus, & Episcopis, martyrio coronatus est: sepultusque viâ Aureliâ III. Idus Iulii. Et tunc cessavit Episcopatus dies V.

Celebratio Missarum in loco sacro.

Dedicationes Ecclesiarum.

Papa XXIX. *Anno Christi 276.*

Evtychianvs Papa, natione Tuscus, ex civitate Lunensi, patre maximo natus: post Felicem pontificem sedit annis VIII. mensibus X. & diebus IV. vir sanctissimus & eruditus: hic instituit ut novæ fruges semper in altari benedicerentur, maxime autem uvæ & fabæ. Trecentos hic martyres propriâ manu sepelisse fertur: unde & constituit, si qui martyres sepelire vellent,

Prima fructuũ benedictio.

lent,

lent, non ſine Dalmatica facere præſumerent: & quam maxime ipſo neſciente. Verum cum multas ordinationes in Decembrio menſe celebraſſet, quibus multos Presbyteros, Diaconoſque ac Epiſcopos, per diverſa loca, ordinavit: VI Idus Decembris martyrio coronatus eſt. Sunt tamen qui ſcribant, & præſertim qui Martyrologium edidit, eum uno tantum anno ſediſſe.

PAPA XXX. *Anno Chriſti 284.*

CAIVS Papa, natione Dalmata, patre Caio, ex Diocletiani Imperatoris genere procreatus: poſt Eutychianum pontificem ſedit annis XI. & menſibus IV: vir utique divinus: qui &, Gratiano teſtante, ordines in Eccleſia diſtinxit: quibus tanquam gradibus quibuſdam ad Epiſcopatum aſcenderetur: & hi fuerunt Hoſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolutus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter & Epiſcopus, ut habetur in Canone 77. diſt. c. Illud nos. Denique quatuor in Decembrio menſe, ſacris ordinibus celebratis, ubi Presbyteros XXV. Diaconos VIII. Epiſcopos per diverſa loca creavit multos: quinta per Diocletianum in Chriſtianos perſecutione mota, & tanta quanta nun-

Diſtinctio ſacrorum ordinum

quam antea fuerat, ſe in ſubterraneas cryptas transferens diu ibi latuit. Demum à perſecutoribus captus, cum fratre ſuo Gabino, & ejus filia Suſanna, martyrio coronatur, & x. Kal. Maji in Calixti Cimiterio ſepelitur: quo etiam die ejus natale celebratur: & tunc Epiſcopatus ceſſavit dies xi. Hunc tamen xv. annis ſediſſe Euſebius ſcribit: cujus etiam opinionem in hoc ſequimur.

Papa XXXI. *Anno Chriſti 295.*

Marcellinus Papa, natione Romanus, patre Projecto, poſt Caium pontificem ſedit annis ix. menſibus iv. qui ſexto pontificatus ſui anno, jam Diocletiani perſecutione ſæviente, cum à carnificibus captus compelleretur Diis thura exhibere, metu perterritus thura eiſdem idolis obtulit atque ea adoravit: quo facto haud multo poſt in ſe reverſus in Sinueſſam Campaniæ urbem ſeceſſit: & ibi Concilium centum & octoginta Epiſcoporum indixit: Marcellinus ſqualidus & ciliciis indutus veniens, peccatum ſuum, omnibus aſtantibus cum lachrymis confitens, pro ea inconſtantia debitam pœnam ſibi tribui expoſtulavit: ſed illi renuentes dixerunt, & Petrum

Apoſtolum ea ratione peccaſſe: ſed flendo peccati maculam laviſſe. tu ergo, inquiunt, teipſum judica. At ille, Adjudico, ait, meipſum deponendum: & ex nunc anathematizo, quicunque corpus meum poſt mortem tradiderit ſepulturæ, affirmans ob negatam Chriſti fidem id nequaquam ſepulturam mereri. His dictis & Concilio ſoluto Romam iratus Marcellinus rediens, Diocletianum adiit eumq; increpavit, quod Diis immolari eum impulerit: atq; ita ſe Chriſtianum eſſe, conſtanti animo confeſſus. Quo audito Diocletianus juſſit eum cum Claudio Carino, & Antonio capite truncari: quorum corpora cum dies ſex & triginta, inſepulta jacuiſſent, via ſcilicet publica: tandem Petri Apoſtoli juſſu, qui Marcello pontifici apparuit, via ſalaria in Cimiterio Priſcillæ ſepeliuntur: & tunc ceſſavit Epiſcopatus dies XXV. Eorum autem feſtum VI. Kal. Maji celebratur.

PAPA XXXII. *Anno Chriſti 304.*

MARCELLUS Papa, natione Romanus, patre Benedicto, poſt Marcellinum pontificem, ſedit annis V. & menſibus VI. & diebus XXI. Qui licet multis malorum turbinibus vexa-

Priscilla Romana tus fuiſſet, divino tamen cultui, ut par erat, intentus conſtituit: hic cum Priſcillam matronam Romanam mulierem, ſiquidem ſanctitate & divitiis inſignem haberet chariſſimam: ejus ſuaſu Cimiterium, magnis impenſis, in via ſalaria conſtruere fecit: deinde ipſe titulos xxv. in urbe Roma, quaſi tot Diœceſes conſtituit: & quam maxime ad commoditatem baptiſmi, & eorum opportunitatem, qui ex Gentibus ad fidem quotidie convolabant: ejus autem precibus Lucina nobiliſſima Romanorum Matrona Eccleſiam Romanam, & Clerum rerum ſuarum hæredem inſtituit: quod cum Maxentius Cæſar poſtea intellexiſſet, & Lucinam relegavit, & Marcellum captum, & minis & terroribus Epiſcopatum deponere, & Chriſtum abnegare juſſit: qui cum Maxentii præcepta contemneret, iratus Cæſar in vilipendium Chriſtianæ religionis, ad cuſtodienda animalia eum miſit: quo tamen in loco, nec conſuetas orationes unquam, nec jejunia continua prætermiſit, nec etiam Clerum Epiſtolis ſaltem gubernare deſtitit: verum cum ibidem captivus novem menſibus perſtitiſſet, à Clericis ſuis noctu liberatus fuit: quo audito Maxentius denuo Marcellum in ſtabulum redegit: ubi cum in-

Cimiterium conſtruxit.

Luciana Romana

incommode nimium habitaret: tandem horrore, fœtoreque ac famis necessitate, vitam finivit: cujus corpus Lucina in cimiteria Priscillæ in via salaria septimo Kal. Februarii sepelivit: quo etiam die ejus natale celebratur: eoque mortuo sedes vacavit dies xx.

PAPA XXXIII. *Anno Christi 309.*

EUSEBIUS Papa, natione Græcus, patre Medico, & ipse medicus post Marcellum pontificem, pontifex constitutus, secundum Eusebium sedit menses VII. secundum vero Damasum, annis VI. secundum alios, & præcipuè Martinum, annis II. mensibus VI. & diebus XXV. martyrio à Maxentio tyranno coronatus: statuit ne infames, aut sortilegi ullo modo testes fieri possent, ut III. q. 3. c. Constituimus. censuitq; puellam tantummodo per verba de præsenti desponsatam monasterium ingredi posse: & id etiam intelligitur de puero: hic etiam multos hæreticos reconciliavit, eis tantummodo manum imponens: cujus temporibus (ut ajunt) crux Domini ab Helena Constantini matre inventa fuit, & ab ipso exornata, ac magna venera-

Quod sponsæ poßint ingredi monasterium.

tione habita: & propterea idem ſtatuit feſtum de crucis inventione ex perpetuo celebrandum: ſicut habetur in Decretis de conſ. diſt. 3. c. Crucis Chriſti. Quæ res quomodo ſtare poſſit ignoro. Verũ hic ſemel tantum ordinationibus in Decembrio menſe habitis, ſexto nonas Octobris martyrio coronatus, & in Calixti cimiterio ſepultus eſt.

Papa XXXIV. *Anno Chriſti 311.*

Melchiades Papa, natione Apher, poſt Euſebium pontificem ſedit annis IV. menſibus VII. & diebus IX. Vir ſane ſanctitate & ſcientia multum inſignis, qui ut erat gravitate præclarus, conſtituit nequis unquam aliqua ſuſpicione aut ante veram probationem condemnaretur, ut habetur in Can. 11. q. 1. c. Inſuper. Vetuit item diem Dominicam aut quintam feriam Chriſtianis jejunare: quia eos dies pagani velut ſacros celebrant, de Conſ. diſt. 3. c. Iejunium dominici. Et cum tam peſtifera Manicheorum hæreſis in urbe Romana invaleſceret; multa in oblationibus faciendis conſtituit neceſſaria: quibus perfectis & ſacris ordinibus ſemel habitis, Maximiani juſſu martyrio coronatur, ſe-

Ne quis Dominico die jejunet.

ſepeliturque IV. Idus Decembris, in cimiterio Calixti, viâ Appiâ. Et tunc ceſſavit Epiſcopatus dies XVII.

PAPA XXXV. *Anno Chriſti 315.*

SYLVESTER Papa primus hujus nominis, natione Romanus, patre Rufino, poſt Melchiadem pontificem ſedit annis XXI. Vir utique divinus, aſpectu ſcilicet angelicus, ſermone nitidus, corpore decorus, opere ſanctus, conſilio magnus & maturus, fide Catholicus, ſpe patientiſſimus, ac omni claritate diffuſus: cui tantum Dominus contulit gratiam, ut non à Chriſtianis modo, verumetiam à Gentilibus miro coleretur affectu: hic namque baptizato Conſtantino, & ab eo inſignibus infra ſcriptis donatus, ac Eccleſiis pace reddita, multa ad cultum divinum ſpectantia conſtituit: & primo quidem ut in Eccleſiis Cathedralibus inferiores Diacono, aliæ Archidiacono obtemperent & obediant, ſicut habetur in Canon. XXIII. diſt. c. A ſubdiacono. Statuit item altaris corporalia neque ſerico neque tincto panno fieri: ſed lineo quidem & albo. Sic quoque in albis celebrandum eſſe dicebat: quemadmodum in linea ſindone & alba Chriſti

corpus ſepultum fuit. Gradus præterea in Eccleſiaſticis ordinibus conſtituit: ut unusquiſque uno tantum ordine contentus eſſet: & unius ſolum uxoris vir. Cenſuit item ut ſanctum chriſma ab Epiſcopo tantum conſecraretur: & ut Epiſcopi baptizatum ſignarent, ſeu confirmarent, propter hæreticam ſuaſionem, atque baptizatum, presbyter occaſione mortis liniat Chriſmate. Quartam deinde ac ſextam feriam ac Sabbathum jejuniis obſervandis inſtituit. Quintam vero & dominicam omnino cenſuit venerandam: nam in ea die, ſcilicet quinta feria Dominus aſcendit: ſacramentum ſui corporis inſtituit, & ſacrum Chriſma confecit: hic cum pientiſſimi animi eſſet vir: multorum orphanorum, viduarumq; ac pauperum nomina in quadam matricula habere voluit: quibus & vitæ neceſſaria quotidie providebat: & cum multis hic ſanctiſſimus pontifex floruerit miraculis. Inter cætera ſua memoranda fertur Romanam urbem à Draconis peſtilentia liberaſſe. Demum cum ſacros ſepties in Decembrio menſe ordines celebraſſet, ubi Diacones XXXVI. presbyteros XLII. ac Epiſcopos per diverſa loca numero XLV. creavit, pridie Kal. Ianuarii obiit: ſepultusq; fuit in cimiterio Priſcillæ, viâ ſalariâ.

Promulgatio ſacramenti confirmationis.

PA-

PAPA XXXVI. *Anno Christi 336.*

MARCUS Papa, natione Romanus, patre Prisco, post Sylvestrum pontificem sedit annis II. & mensibus VIII. Vir siquidem bonus, & Christianæ religionis amator: qui pontificatu suscepto statim ad ejus curam conversus, Gratiano testante constituit, nullum omnino Clericum ad secularia, quovis modo pertrahi posse: sicut habetur in Decretis suis XI. q. I. c. Quicunque voluit: mandavit insuper diebus solennibus in Missa, post Evangelii lectionem Symbolum Eusebii, à Clero & Populo, magna voce cantari, prout in prædicta Nicena Synodo fuerat declaratum: hic duas Ecclesias in urbe Roma condidit, unam viâ Ardeatinâ, in qua & sepultus fuit: alteram ibidem ad Palatinas, quas quidem Constantinus Imperator adhuc vivens, multis exornavit muneribus. Denique cum sacros ordines bis in Decembrio mense celebrasset: & multos Diaconos, Presbyteros, Episcoposque creasset: emoritur, & in prædicta Ecclesia sua sepelitur: III. scilicet Nonas Octobris: Et tunc vacavit sedes dies XX.

Symbolum majus in Missa cantari præcipit.

PA-

PapaXXXVII. *Anno Christi* 338.

IVLIUS Papa primus, natione Romanus, patre Rustico, post Marcum prædictum, sedit annis XVI. & mensibus IV. mirandæ quidem sanctitatis & doctrinæ vir: qui & multis vexationibus propter Arrianorum pestiferam hęresin abolendam diu vexatus fuit, sed tamen non destitit eos reprehendere & persequi, & maxime quia præter auctoritatem Romani pontificis Antiochenum inducere præsumpsissent Concilium, cum sine ejus auctoritate id fieri non deberet, nec posset. Tandem hic multis Orientalium Episcoporum omissis contentionibus, duas & ipse in urbe Roma Basilicas ædificavit: unam juxta Romanum forum: alteram in transtyberina regione. Tria insuper cimiteria extruxit; unum in via Flamminea, & aliud in via aurelia, tertiumque in via Portuensi: sed & leges nonnullas atque constitutiones edidit. Demum Arriana invalescente perfidia, multa à Constante Constantini filio pertulit incommoda, â quo etiam decennio exilio damnatus fuit. Nec propterea destitit & monitionibus & scriptis Catholicos in fide continere. Vnde & ad Dionysium

nysium quendam de incarnatione Domini perutilem scripsit Epistolam, quæ ab omnibus approbata est, & cum ab exilio revocatus fuisset, mandavit omnia ad Ecclesiam pertinentia per notarios, quos protonotarios hodie vocamus, conscribi. Ter denique cum in Decembrio mense sacros ordines celebrasset, ubi Presbyteros XVIII, Diaconos III, ac Episcopum unum creasset, pridie Idus Augusti vitæ finem fecit, sepultusque est in via Aurelia in cimiterio Calepodii: & tunc cessavit Episcopatus dies XXV.

Hic instituit protonotarios Apostolicos.

PAPA XXXVIII. *Anno Christi 354.*

LIBERIUS Papa, natione Romanus, patre Augusto natus: post Iulium pontificem, sedit annis XVI. mensibus VII. & diebus II. Cujus tempore celebrato apud Mediolanum à sectatoribus Arrianæ hæresis concilio ipse cum multis Catholicis Episcopis urbe pulsus est: Iam antea Ariminensem Synodum congregaverant, ubi multæ disputationes callide actæ fuerant, negantes Christum cum patre Homousion esse. Quapropter cum ea aperte impugnasset, ab Arrianis triennio in exilium actus est: unde à Sacer-

dotibus

Schisma 4. dotibus Synodo congregata, Felicem presbyterum, virum optimum in Liberii locum suffecerunt, qui pontificatu suscepto, statim Conventum XLVIII. Episcoporum congregavit, & duos presbyteros, Vrsatium & Valentem ab Ecclesia separavit, eo quod cum Constantio, & Arrianis in fide sentirent, eapropter eorum precibus motus Constantius, Liberium Papam ab exilio revocavit. Qui Imperatoris beneficio permotus cum hæreticis tenere cepit: quamvis id cum Catholicis sentiret, hæreticos scilicet ad fidem redeuntes non esse rebaptizandos: expulso itaq; Felice, & Liberio ad Pontificatum revocato; Vrsatii, Valentisque instigatione Constantius vehementissimam persecutionem in Catholicos commovit: adeo ut etiam in Ecclesiis Presbyteri & Clerici passim trucidarentur. Hic autem pontifex quanquam cum Arrianis sentiret: Dei tamen Ecclesias quoad potuit diligentissime exornavit: voluitque decreto publico, vicem suam dolens, nequis Episcopus de cætero propter aliquam infestationem, gregem suum ullo modo deserere posset: sicut habetur in Can. VII. q. c. I. Suggestum: ferunt autem Fortunatum quendã Aquileiensem Episcopum Liberium hunc

Magna persecutio Catholicorum ab Arrianis.

hunc fidei causa in exilium pergentem, ut in discordiam haberetur sollicitasse. Denique cum Liberius hic bis sacros ordines in Decembrio mense celebrasset: ubi Presbyteros XVIII. Diaconos quinque, & Episcopos per diversa loca XIX. creasset, vitæ suæ finem fecit: cujus corpus viâ salariâ in cimiterio Priscillæ sepelierunt, & tunc sedes vacavit dies VI. Inter hos autem à Liberio isto sacris ordinibus initiatos divum Hieronymum Presbyterum Cardinalem creatum fuisse tradunt.

Hieronymus Presbyter Cardinalis creatur.

PAPA XXXIX. *Anno Christi 370.*

FELIX Papa secundus, natione Romanus, patre Anastasio, Liberio prædicto ab hæreticis pulso, ab ipsis pontifex creatus: sedit anno uno, mensibus IV. diebus II. Vir sane optimus, & multa laude dignus: quem hæretici ad cooperimentum sui erroris, ideo delegerunt, ut Liberium rationabiliter ejecisse demonstrarent: qui tamen papatu inito, ubi Constantium Imperatorem ab hæreticis rebaptisatum didicit, eum hæreticum & orthodoxæ fidei inimicum, ac secundo rebaptisatum omnibus promulgavit: propter quod indignatus

tus, Constantius suasione Ursatii & Valentis à sede eum dejecit: & cum nulla ratione ab orthodoxa fide divelli posset, ab adversariis una cum multis bene sentientibus interficitur, martyrioque coronatur, ac IV. Kal. Augusti in Basilica, quam ipse in via Aurelia ædificaverat, secundo ab urbe miliario sepelitur.

Papa XL. *Anno Christi 371.*

DAMASUS Papa primus, natione Hispanus, patre Antonio natus, post Felicem pontificem sedit annis XVIII. mensibus II. & diebus X. Vir sane bonus & optimus pontifex: quo pontificante, haud multo post, Vrsicinus Diaconus, à quibusdam Schismaticis

Schisma V. seditiosisque Clericis Papa per schisma constituitur: & mox Basilicam, quæ Sicinium appellatur, Vrsicinus cum suis invadit: ubi & multi utriusque partis, populo confluente ceciderunt: sed paulo post divina voluntate Clericorum, populique consensu Damasus in pontificatu confirmatus est: Vrsicino ad Neo-

Hic de adulterio injuste accusatur. politanam urbem misso: sed & postmodum Damaso à suis subditis adulterii crimen objicitur: qui XL. Episcoporum concilio congregato causam publice dicens,

cens, ut innocens ab omnibus absolvitur: ut habetur in Can. 11. q. 6. c. nos. Et ejus accusatores, tanquam falso deprehensi damnantur, & ab Ecclesia rejiciuntur. Damasus ocio delectatus, vitas pontificum præcedentium diligenti cura conscripsit: Indeque divo Hieronymo mandavit, ut Ecclesiæ officium ordinaret: quod & fecit: unde virtute & sanctitate viri commotus, Damasus primus Hieronymi scriptis auctoritatem dedit; cum prius LXX. interpretum, atque aliorum translatorum scripta in pretio haberentur: Nam ex tunc Hieronymi Biblia legi & divulgari cœpta est, & ejus Psalmi fideliter ex Hebræo traducti: propter quod & ipsius divi Hieronymi suasione statuit, ut Gloria patri &c. in fine cujuslibet Psalmi diceretur, quos alternatis vicibus in Ecclesiis voluit decantari. Voluit etiam ut eo in officio Symbolum tacite, per ferias singulis horis canonicis diceretur: & ex Concilio universalis Synodi similiter Symbolum majus in Missa decantaretur: Confessionem præterea in principio cujuslibet Missæ dicendam ordinavit, prout modo fit: hoc modo divinus hic pontifex cultum divinum auxit, & templis & aliis plurimis donis. Denique cum quinquies ordinationem in

Hieronymi Biblia legi cœpta.

Gloria patri & filio.

Confessionem in principio cujuslibet Missæ dicendã ordinavit.

in Decembrio menſe celebraſſet : ubi Presbyteros III. & Diaconos XI. & Epiſcopos per diverſa loca numero XLII. creavit, nonagenarius propediem obiit, & III. Idus Decembris in Baſilica à ſe condita, viâ Ardeatinâ, cum matre & ſorore ſepelitur : & eo die ejus natale celebratur : & tunc ceſſavit papatus dies XXI.

Papa XLI. *Anno Chriſti 389.*

SYricius Papa, natione Romanus, patre Tiburtio eſt natus : poſt Damaſum pontificē ſedit annis XV. menſibus XI. diebus XXV. Hic, Gratiano referente, conſtituit, ne Clerici cum mulieribus in eadem domo, niſi cum conſanguineis cohabitare præſumerent : ut habetur in Can. LXXXI. diſt. c. Fœminas. Inſtituitque ut ſacri ordines initiandis per temporum intervalla ab Epiſcopis darentur. LXXVII. diſt. c. In ſingulis : hic cum Manichæos quos in urbe invenerat exilio damnaſſet : prohibuit etiam ne cum fidelibus communicarent. Cenſuit quoque ne ullus de eorum ſecta reciperetur : niſi ea conditione, ut in monaſterium, tanquam in carceres perpetuo damnarentur, ibique jejuniis & orationi-

Ne Clerici cum mulieribus cohabitare præſumant.

tionibus se macerarent: & tantummodo in ultimo vitæ suæ, cum de eorum conversione constaret, viaticum salutis sumerent. Tandem vero cum Concilium 1380. Episcoporum ad Constantinopolim celebrasset: ubi Ecclesiæ res optime composuit: creatis etiam multis Presbyteris, Diaconibus, & Episcopis, moritur, & via salaria in cimiterio Priscillæ, VIII. Kal. Martii sepelitur. Et tunc cessavit Episcopatus dies xx.

PAPA XLII. *Anno Christi 404.*

ANASTASIUS Papa primus, natione Romanus, patre Maximo, post Syricũ pontificem sedit annis III. & diebus x. Homo siquidem optimus, qui pontificatu inito rei divinæ curam gerens, Gratiano teste constituit, ne debiles, manci, neve membro aliquo mutilati in Clericorum numerum reciperentur: ut habetur in Can. LV. dist. c. Qui partem digiti. Vetuit item ne peregrini & maxime transmarini in Clerum reciperentur Romanum, nisi quinque Episcoporum Chirographum signatum exhiberent. XXXVII. dist. c. Extraneo. & hoc quidem fecisse dicitur ne Manichæi qui in Aphrica existimatione magna habeban-

Mutilati vel manci ad sacros ordines non aßumantur.

bantur ad fidem corrumpendam de suis cum fraudibus, eodem modo mitterent. Mandavit rursus, ut cum sacrum Evangelium in Ecclesia Dei legeretur, aut cantaretur, non sedendo, sed stando, cum reverentia ab omnibus Christicolis audiretur. His denique in Decembrio mense ordinationibus celebratis, ubi Presbyteros VIII, Diaconos VIII, & Episcopos per diversa loca X, creavit, moritur, & in Cimiterio ad Ursum paleatum V. Kal. Maji sepelitur: & tunc cessavit sedes dies XXI.

Evangelium non sedendo, sed stando audiatur.

Papa XLIII. *Anno Christi 408.*

Innocentius hujus nominis primus Papa, natione Albanus, patre Innocentio, post Anastasium pontificem sedit annis XX. mensibus II. & diebus XX. hic sanctus fuit, & multa ad religionem Christianam pertinentia constituit: Et primo quidem ut Ecclesia consecrata semel, amplius non consecraretur. LXVIII. dist. c. Ecclesiis semel. Censuit item ut Clericus qui sine Episcopi consensu ordinaretur, ejus ordinatio fieret irrita: declaravitque præterea, quod Episcopi qui præbendas, vel prioratum, vel aliquas dignitates, vel Sacramentum,

tum, ut puta oleum ſanctum, Chriſma, conſecrationes altarium venderent, pro Simoniacis punirentur, ut 1. q. 111. c. Nemo. Conſtituit item ut ſingulis ſolennibus feſtis in Eccleſiis ante Sacramenti receptionem, pax Chriſticolis daretur. Conſ. diſt. 11. c. Pax igitur. Item Arcadium Imperatorem excommunicavit, eo quod expulſioni Joannis Chryſoſtomi conſenſiſſet. Cujus ejectionem Eudoxia Imperatrix provocaverat, quod contra mulieres prædicaſſet: quia circa ipſius Eudoxiæ imaginem ludebant. Hujus etiam tempore grande & inauditum miraculum in Vercellenſi Caſalia Galliæ urbe contigit, de quadã muliere conjugata falſo accuſata, quæ dicebatur adultera, nec ut id confiteretur tormentis ſuperari potuit, & capite vix ſeptem ictibus truncato divinitus vitæ reddita, imperiali tandem reſcripto libertati reddita eſt. Quamobrem divus Hieronymus huic pontifici ſancto ad continentiæ & innocentiæ Conjugalis exemplum hæc ſcribere voluit: hic etiam pontifex digniſſimus Baſilicam Gervaſii & Protaſii in urbe dedicavit, & cum ordinationes quater in Decembrio menſe habuiſſet, ubi Presbyteros xxx. Diaconos xII. & Epiſcopos per diverſa loca, numero

Pax danda in Miſſis.

De muliere Vercellenſi ſepties percuſſa.

mero liv. creaſſet moritur, & in cimiterio ad Vrſum paleatum v. Kal. Augusti ſepelitur: & tunc ſedes vacavit dies xxij.

Papa XLIV. *Anno Chriſti 424.*

Zozimus Papa, natione Græcus, patre Abraam, poſt Innocentium pontificem, ſedit anno uno. Menſibus viii. & diebus xxv. Vir quidem ſanctus atque optimus, qui licet fuerit in multa rerum perturbatione, divinã tamen rem nunquam prætermiſit: unde & conſtitutione edita vetuit, ne omnino ſervi in Clericos reciperentur: dicens hujuſmodi viros liberos & integros eſſe oportere, ut habetur in Can. liv. diſt. c. Epiſcoporum. Mandavit item ut in parochiis cereus, Sabbatho ſancto ſemper benediceretur. Ferunt hunc ad Carthaginenſe Concilium Fauſtinum quendam Epiſcopum, & duos Romanæ Vrbis Presbyteros miſiſſe: ut oſtenderet nil uſquam publice agi debere ſine Romanæ Eccleſiæ conſenſu. Denique ſemel tantum habita ordinatione, ubi Presbyteros x. Diaconos iii. & Epiſcopos per diverſa loca numero viii. creaſſet: moritur, & vii. Kal. Ianuarii

Cereus Paſchalis.

nuarii juxta corpus ſancti Laurentii ſepelitur: Et tunc ceſſavit ſedes dies XI.

PAPA XLV. *Anno Chriſti 425.*

BONIFACIVS primus Papa, natione Romanus, patre Iocundo Presbytero poſt Zozimum prædictum, ſedit annis III. menſ. IV. & diebus VII. hoc namque pontifice creato, maxima ſtatim in Clero ſeditio orta eſt: quare Eulalius alter in Conſtantiana Baſilica pontifex electus Bonifacio huic objicitur: & hoc quartum Eccleſiæ Schiſma fuiſſe dicitur: quod ubi Honorius, qui tum Mediolani erat, intellexit, inſtante Placidia ambo urbe pelluntur. Septimo deinde menſe Bonifacius revocatus, ſolus urbis præſul conſtituitur, qui poſtquam pontificatum pacifice adeptus eſt: Sotheris Papæ decretum confirmavit: ne ſcilicet mulier ulla Pallas attrectaret, aut thura in Eccleſia adoleret: ut habetur in Canon. XXIII. diſt. c. Sacratas. Neque aliquis Sacerdos ante annos XXX. ordinetur, ut patet LXXVIIJ. diſt. c. Si quis triginta. Hic inter cætera condidit oratorium in cimiterio ſanctæ Fælicitatis martyris, ejuſque ſepulchrum argento & marmoribus ornavit. Nam & patinam

Schiſma 4.

Sacerdos non ordinetur ante annos 30.

nam argenteam librarum xx. ei dono dedit, & ſcyphum ſcilicet argenteum librarum x. & coronas III. ac duos calices minores : unamque tantum fecit ordinationem, in qua Presbyteros XIII. Diaconos III. & Epiſcopos per diverſa loca numero XXXVI ordinavit : moritur, & in Baſilica prædicta ſanctæ Fœlicitatis, viâ ſalariâ VIII. Kal. Novembris ſepelitur : Ceſsavitque tunc Epiſcopatus dies IX.

Papa XLVI. *Anno Chriſti 428.*

Iudica me Deus ante introitum Miſſæ dici præcipit.

Coelestinus Papa primus, natione Romanus, patre Priſco, poſt Bonifacium, pontificem ſedit quaſi annis VIII. qui divino cultui admodum intentus inſtituit Pſalmum : *Iudica me Deus*, ante introitum Miſſæ à Sacerdote celebraturo dici debere. Conſtituit item, ut Pſalmus Davidis videlicet 150. ante ſacrificium antiphonatim ab omnibus caneretur, quod ante fieri non conſueverat: prælecta enim Epiſtola & Evangelio finis ſacrificio imponebatur. Vnde & ex hoc inſtituto excerpti ſunt introitus & gradualia, atque offertoria ante ſacrificium : mandavit ſimiliter, Gratiano referente, ut omnes Sacerdotes ſcirent Ec-

cle-

clesiasticos canones, sicut habetur in decretis III. dist. c. Nonnulli Sacerdotum. Hujus jussu & Theodosii junioris tertia Synodus cc. Episcoporum apud Ephesum collecta fuit: in qua impius Nestorius cum hæresi sua cumque Pelagianis omnibus, qui dogma illud omni juvabant conatu, omnium consensu XIII. Canonibus eorum stultitiam impugnantibus, damnata est: prædicabant enim ut dictum est Christum ex Maria hominem tantum. Vnde diffinitum est in Christo unam esse personam. Et quod beata Maria virgo vocaretur Theotocos, id est Mater Dei, ut patet XV. dist. II. 24. q. III. Hic Basilicam Julianæ dedicavit, cui & permulta contulit dona: tandem cum ter in Decembrio mense ordinationes, habuisset, ubi & Presbyteros XXXII. Diaconos XII. & Episcopos XLII. creavit, moritur, & VIII. Idus Aprilis via salaria in Cimiterio Priscillæ sepelitur: & sedes vacavit dies XXI.

Papa XLVII. *Anno Christi 436.*

Sixtus ejus nominis tertius Papa, natione Romanus, patre Prisco, post Cœlestinum pontificem sedit annis VIII. & diebus IX. Qui pontificatu inito, à Basso

Baſſo quodam Presbytero de adulterio reus in judicio accuſatur : ſed ſeptem & quinquaginta Epiſcoporum Synodo congregata, ita cauſam ſuam purgavit, ut ab omnibus uno conſenſu abſolveretur. Et Baſſus calumniator iniquus, Valentiniano & Placidia annuentibus in exilium mittitur, ut habetur in Canon. 11. q. v. c. Mandaſtis. Ajunt autem Baſſum hunc poſt exilium non multum ſupervixiſſe: ſed tertio menſe diem extremum clauſiſſe : cujus quidem corpus Sixtus ipſe manibus propriis cum aromatibus ſepelire voluit. Ædificavit hic Baſilicam beatæ Mariæ virginis, juxta macellum Lybiæ : quæ poſtea Sancta Maria major appellata eſt : cui quidem Pontifex multa dona obtulit : tandem ut vir munificus, cum omnia quæ habuit pauperibus erogaſſet : nonnulliſq; Presbyteris Diaconibuſque, ac Epiſcopis ordinatis, moritur : & apud corpus Beati Laurentii in in Crypta ſepelitur: & tunc ſedes vacavit dies xxii.

Hic de adulterio accuſatus fuit.

Hic ędificavit Baſilicã Sanctæ Mariæ majoris in urbe Romana

Papa XLVIII. *Anno Chriſti 444.*

Leo ejus nominis primus Papa, natione Tuſcus, patre Quintiniano, poſt Sixtum pontificem, ſedit annis xxi, men-

mense uno & diebus XIII, hic ob dignitatem & præcipuam doctrinam cognomento Magnus & dignitate primus habitus fuit, eo quod eloquentiâ nemini cesserit, & multos sapientiâ præcelluerit: brevitatis quippe magister, & universæ virtutis ac sanctitatis pene artifex fuit. Et propterea in Synodo Chalcedonensi, summa patrum omnium admiratione & concordiâ, ter sanctus acclamatus est. Ipse enim Leo, ut quidam ait, fuit Ecclesiasticæ dictionis Tullius, Theologiæ Homerus, rationum fidei Aristoteles, Petrus in pontificio throno, & Paulus in pulpito Christiano: qui certe ad confirmandam Christianorum fidem, tyrannorum rabie quassatam ac semicollapsam, Gratiano teste, multa constituit. Voluit item ut in baptismo aut in confirmatione unus tantum acciperetur patrinus seu matrina, de Cons. dist. IV. c. Omnis Presbyter. Mandavit etiam alleluja & gloria in excelsis Deo, in septuagesima, & adventu, & quadragesima intermitti: constituitque præterea ut infra actionem mysterii diceretur: Hanc igitur oblationem usque placatus accipias: multas hic Urbis reparationes, pro posse fecit, ac multa Templa collapsa restituit: sepulchris quoque Apostolorum

Hujus itaque Leonis tempore ædificata fuit magna Civitas Venetiarum.

Alleluia & Gloria in excelsis Deo, in adventu septuagesima & quadragesima cantari prohibet.

Petri & Pauli ex Clero Romano Custodes addidit, quos cubicularios appellavit: monasterium insuper prope sanctum Petrum condidit, & multos proventus assignavit. Postremo uno & octoginta Presbyteris creatis, Diaconibus xxx. & Episcopis per diversa loca, numero LXXXVI. IV. Idus Aprilis moritur: & in Vaticano apud sanctum Petrum sepelitur: hic itaque doctissimus pontifex decretales Epistolas plurimas & Homilias atque Sermones complurimos edidit.

Cubicularii quare constituti sunt.

Hic composuit multos libros.

Papa XLIX. *Anno Christi 465.*

Hilarius Papa, natione Sardus, patre Crispino, post Leonem pontificē sedit annis VI. mensibus III. & diebus X. Qui licet in multarum rerum perturbatione fuerit; rem tamen divinam nunquam prætermisit: unde &, Gratiano referente, constituit ut nullus literarum inscius in Clericum ordinaretur, ut habetur in Canon. LV. dist. c. pœnitentis. Hic cum eruditissimus haberetur, tres Epistolas de fide Catholica scripsit tres Synodos confirmantes, scilicet Nicenam, Ephesinam & Chalcedonensem: duas etiam Bibliothecas in Vrbe construxit, & ad Iunam in

Hic tres Synodos confirmavit sc. Nicenam, Ephesinā & Chalcedonensem.

in Vrbe monasterium construxit. Multa præterea dona & quasi infinita templis obtulit: denique cum omne tempus in docendo, admonendo & eleemosynas faciendo contrivisset: multosque Presbyteros, Diaconos, Episcopos creasset, vitam sanctissime finivit, & juxta corpus beati Laurentii in Crypta sepelitur: & tunc vacavit Papatus dies x.

PAPA L. *Anno Christi 471.*

SIMPLICIUS Papa, natione Triburtinus, patre Castino, post Hilarium pontificem sedit annis xv. mense uno & diebus VII, hic à juventute sua, non modo simplex, sed & rectissimus ac timens Deum fuit: hic optimus Pontifex infra scriptas in Vrbe Basilicas ædificavit: & primo Basilicam sancti Stephani protomartyris, sancti Andreæ Apostoli, non longe à templo sanctæ Mariæ majoris: aliam quoque Basilicam sancti Stephani apud sanctum Laurentium dedicavit, & etiam Basilicam sanctæ Bibianæ Martyris ad palatium Lucinianum, ubi corpus ipsius Virginis repositum est: tandem cum Romanam Ecclesiam non solum bonis institutis, verum etiam & donis pluri-

Hic fecit multas Basilicas in Vrbe.

mis auxiſſet, plurimoſq; Presbyteros, Diaconos & Epiſcopos creaſſet, deceſſit, & VII. nonas Martii in beati Petri templo ſepelitur, ac poſt ſedes vacavit dies XXVI.

Papa LI. *Anno Christi 486.*

Felix ejus nominis Papa tertius, natione Romanus, patre Felice, Presbytero ex regione Faſciolet, Beati Gregorii Papæ atavus: poſt Simplicium ſedit annis VIII, menſibus XI, & diebus XIX. Vir utique optimus, qui inito pontificatu ſtatim ex Græcia relationem accepit Petrum Eutychianum, quem ante diximus ob hæreſin in exilium fuiſſe pulſum, ab Achatio Conſtantinopolitano Epiſcopo eſſe revocatum: unde Concilio congregato Felix pontifex hic auctoritate ſedis Apoſtolicæ Petrum hæreticũ & ipſum Achatium Epiſcopum damnat: conſtituit etiam ut Eccleſiæ ab Epiſcopis conſecrarentur, de Con. diſt. I. c. Si non alii. Hic Baſilicam ſancti Agapiti martyris, non longe ab Eccleſia beati Laurentii ædificavit, & cum bis in urbe Roma ſacros ordines celebraſſet, ubi Presbyteros XXVIII, Diaconos V. Epiſcopos per diverſa loca numero XXX. creavit, moritur,

Conſecratio Eccleſiarum.

tur, & in Eccleſia beati Pauli ſepelitur. Ceſſavit tunc Epiſcopatus dies VI.

PAPA LII. *Anno Chriſti 494.*

GELASIVS ejus nominis primus Papa, natione Apher, patre Valerio, poſt Felicem ſedit annis IV. menſ. VII. & diebus XVII. Hic vir ſanctus fuit, qui ut ad pontificatum aſſumptus fuit, mox Manichæos in Vrbe deprehenſos exilio damnavit: eorumque libros quoſcunque invenire potuit, apud Baſilicam ſanctæ Mariæ majoris publice combuſſit. Deinde diligens quæ Dei ſunt, multa conſtituit, quæ ad Eccleſiaſticum cultum pertinebant: & primo ut nullus bigamus ad ſacros ordines, niſi de licentia ſedis Apoſtolicæ promoveretur, ut habetur in Can. LII. diſt. c. Nam confidit. Statuit item ut nullus membro mutilatus aut carens oculo ordinaretur Presbyter, cenſuit etiam ut Clericorum ordinationes quater in anno de cætero fierent: & die Sabbathi tantum: diſtinxit quoque gradus, ut ſi quis ad Epiſcopatum aſcenderet primo Hoſtiarius fieret, deinde Lector, Exorciſta, Acolutus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter & demum Epiſcopus. Mandavit item Sacerdoti-

Ordinationes ſacras quater in anno fieri de cætero inſtituit.

Ne corpus Christi sine sanguine consecretur. bus celebraturis ne corpus unquam sine sanguine conficerent. hunc etiam preces ordinasse ferunt, quas in prima diei hora & completorio in Ecclesiis cantari mandavit hymnosque multos ad imitationem divi Ambrosii composuit, quos in singulis diei horis voluit *Hymnos composuit.* decantari: gradualia, alleluja, tractatus ac præfationes multas composuit: Basilicas plurimas dedicavit: Clerum quoque amavit & auxit, pauperes ac fideles mira pietate complexus est, & Romanam urbem à multis periculis tutatus est. Demum cum Presbyteros xxxii. & Diaconos xxii. & Episcopos per diversa loca, numero lxvii. creasset, xi Kal. Octobris naturæ satisfecit, cujus corpus in Basilica beati Petri conditum fuit, eoque mortuo, sedes vacavit dies vii.

Papa LIII. *Anno Christi 498.*

Anastasius ejus nominis secundus Papa, natione Romanus, patre Fortunato: post Gelasium pontificem sedit anno 1. mens. x. & diebus xxiv. Hic cum primum bonus & Catholicus haberetur, ab Achatio seductus fuit. Verum dum occulte eum revocare tentasset, Clerum à se alienavit, coque

eoque feſſum à communione maxime ſubtraxit: hanc ob rem, ut etiam Gratianus teſtatur; divino nutu morbo ſtatim correptus eſt, & cum in latrina eſſet ut naturæ neceſſitati obtemperaret, inteſtina effudit: ut habetur in Canon. XIX. diſt. c. Anaſtaſius. Is itaque ſecundus Papa infamis fuit, cum etiam in Septembrio menſe ſemel ordinationibus celebratis XII. Presbyteros & Epiſcopos XVI. creavit, atque ita XIII. Kal. Decembris in Baſilica beati Petri ſepultus fuit, & poſt vacavit ſedes dies VI.

Secundus hic Papa infamis fuit.

PAPA LIV. *Anno Chriſti 499.*

SYMMACHUS Papa, natione Sardus, patre & ipſe Fortunato: poſt Anaſtaſium non ſine magna diſcordia pontifex creatus, ſedit annis XV. menſ. VI. & diebus XXII. Cum enim hic in Lateranenſi pallatio ordinaretur, Laurentius quidam in æde beatæ Virginis, quæ nova dicebatur, ab aliis per contentionem pontifex ſubrogatus eſt, res autem cum apud Theodoricum ageretur, Symmachus hic in pontificatu confirmatus eſt, qui confirmatus hac clementia in Laurentium uſus eſt ut ipſum Nucerinis Epiſcopū dederit. Poſt quatuor deinde annos interim maxima

Schiſma 5.

altercatio in Clerum ſurrexit, & hoc propter crimina Symmacho objecta: quare Romani pace faſtiditi Laurentium reduxerunt & ſextum diſſidium fecerunt: rex autem Theodoricus canonum ignarus Petrum quondam Altinum Epiſcopum è Ravenna miſit, qui utroq; pontifice dejecto ſe pontificem fecit: at Symmachus cxx. Epiſcoporum Synodo congregata, de objectis criminibus, conſtanti animo ſe purgavit, ac Petrum Laurentiumque malorum omnium capita relegari obtinuit. Symmachus itaq; cum gloria & honore reſtitutus confeſtim Manichæos ab Vrbe expulit,& eorum libros publice concremavit, & poſtea Baſilicas multas à fundamentis erexit: conſtituit autem ſub anathematis pœna, ut nemo adhuc vivente Papa de electione futuri pontificis præſumeret loqui: conſtituit item ut in diebus Dominicis Apoſtolorum & in Martyrum natalitiis, Gloria in excelſis Deo ſemper in Miſsis cantaretur. Fuit hic pontifex pauperum & maxime Clericorum amator, quibus pecunias & veſtes miniſtravit & multos captivos redemit. Tandem creatis xcii. Presbyteris, Diaconibus xvi. & Epiſcopis per diverſa loca numero cxviii. moritur, & xiv. Kal. Auguſti in Baſilica

Gloria in excelſis Deo in Miſsis cantare prçcepit.

lica

lica beati Petri ſepelitur. Vacavit ſedes dies VII.

PAPA LV. *Anno Chriſti 514.*

HORMISDA Papa, natione Campanus, patre Juſto, poſt Symmachum pontificem ſedit annis IX. & diebus XVIII. Hic pontificatu inito Theodorico hortante, ſtatim apud Urbem Provincialem Synodum congregavit, in qua præſertim Eutychianam hæreſin damnavit, quæ tum primum damnata fuerat. Voluit item Chriſtianorum nuptias non occulte, ſed publice fieri debere, ut XXX. q.V. c. Nullus fidelis. Vetuit præterea Sacerdotibus & aliis ne altaria in Eccleſiis conſecratis erigerent ſine ſpeciali Epiſcopi licentia. Hic Manichæorum libros publice incendio conſumpſit, & propterea & ipſe ut erat munificentiſſimus pontifex, cum multis principibus muneribus certavit, atque multis donis Chriſti Eccleſias exornavit: quibus optime geſtis multis quoq; Sacerdotibus aliiſque Clericis ex more creatis VIII. Idus Auguſti emoritur, & in beati Petri Apoſtoli Baſilica ſepelitur, quo mortuo ſedes vacavit dies VI.

Ne matrimonia fiant occulta.

PA-

Papa LVI. *Anno Christi 523.*

Ioannes Papa ejus nominis primus, natione Tuſcus, patre Conſtantio: poſt Hormiſdam pontificem ſedit annis II. menſ. VIII. qui ſuſcepto pontificatu plura obſervari mandavit: ſed in Vrbe multa cimiteria conſtruxit, & Eccleſias multis muneribus exornavit, de quo Greg. Magnus 4. Dial. libro refert quod propter orthodoxam fidem à Theodorico Rege, ut dictum eſt, apud Ravennam diu in cuſtodia tentus fuit: poſtea v. Kal. Julii conſumptus eſt. Cujus poſtea ſanctiſſimum corpus ex Ravenna in Vrbem delatum in Baſilica beati Petri ſepultum fuiſſe tradunt: & tunc ſedes vacavit dies XVIII.

Papa LVII. *Anno Christi 525.*

Felix Papa ejus nominis quartus, natione Samus, patre Caſtorio, poſt Ioannis pontificis felicem dormitionem ſedit annis IV. menſ. II. diebus XIII. Is fuit proavus Magni Gregorii: qui ut vir optimus, rerum divinarum curam gerens multa in Vrbe extruxit ædificia, & maxime Coſmæ & Damiani templum quod

quod adhuc extat. In via quoque ſalaria Baſilicam ſancti Saturnini martyris incendio exuſtam reſtituit. Hic inter cætera ſuæ ſanctitatis opera juxta doctrinam beati Jacobi Apoſtoli mandavit infirmos ante obitum inungi. Denique cum ex more ſacris ordinibus celebratis, ubi Presbyteros LV. Diaconos IV. & Epiſcopos per diverſa loca numero XXIX. creaſſet, moritur, & IV. Idus Octobris in Eccleſia beati Petri ſepelitur. Et tunc ſedes vacavit dies tres.

Extremam unctionē ante obitum dari pręcepit.

PAPA LVIII. *Anno Chriſti 529.*

BONIFACIUS Papa ejus nominis ſecundus, natione Romanus, patre Sigiſmundo: poſt Felicem ſedit annis II. diebus XXVI. In hujus autem Bonifacii creatione, ut quidam affirmavit, contentione in Clero ſuborta, Dioſcorum quendam, in demortui Felicis loco elegere: quâ quidem ſeditione Clerus diebus XXVIII. exagitatus, tandem à perturbatione liberatur, & Bonifacius præficitur, qui ſtatim ad Eccleſiam confirmandam inſtituit ut tempore Miſſæ populus ac Clerus intereſſent: tandem vitâ functus in beati Petri Baſilica ſepelitur, & poſt vacavit ſedes menſes duos.

Initiatū ſchiſma.

In Miſſarum celebratione populus intereſſe præcipitur.

PA-

Papa LIX. *Anno Christi 531.*

IOannes secundus Papa, natione Romanus, patre Projecto ex Celio monte, post Bonifacium sedit annis II. & mens. IV. De isto Pontifice pauca habentur, qui ubi pontificatum iniit, Anthimum Episcopum hæreticum statim damnavit, eo quod in hæresin Arrianam declinasset. huic namque Iustinianus ex Constantinopoli misit scyphū aureum, gemmis ornatum, librarum VI. & duos argenteos, librarum XII. ac Calices duos argenteos librarum XV. & semel tantum ordinationibus celebratis, anno II. pontificatus sui moritur, & in templo beati Petri VI. Kal. Julii sepelitur: & tunc vavit sedes dies VI.

Papa LX. *Anno Christi 533.*

AGapitus Papa primus, natione Romanus, patre Gordiano, post Joannem prædictum sedit anno I. hic quintam sanctam Synodum Vniversalem apud Constantinopolim celebrare incepit, in qua Imperatorem Iustinianum, Arriana hæresi depravatum convertit. Vbi etiam constituit dominicis die-

diebus processiones fieri debere: quibus optime gestis ibidem haud multo post moritur. Indeque corpus Romam perlatum, in Basilica beati Petri sepelitur.

Processiones Dominicis diebus præcipit.

PAPA LXI. *Anno Christi 534.*

SYLVERIUS Papa, natione Campanus, patre Hormisda Episcopo, post Agapitum pontificem sedit anno uno, mens. v. diebus xII. Hunc Clerici, jubente & mandante Theodato Ostrogothorum rege pontificem delegerunt, quamobrem indignatus Justinianus Belisarium Patricium cum exercitu in Italiam misit: quo cum venisset Vigilio Diacono Romano instigante, & accusante, quod Sylverius Romam Gothis prodere voluisset, Theodorâ Augustâ, operante etiam Antoninâ Belisarii uxore, Sylverius hic in Pontum insulam relegatus est: ubi & statim, non sine opinione martyrii mortuus est. Cujus quidem festum xx. die Iunii celebratur.

6. Schisma.

PAPA LXII. *Anno Christi 535.*

VIGILIUS Papa, natione Romanus, patre Joanne Consule, post

post Sylverium exulem & abrogatum, pontifex creatus: sedit partim Romæ, partim alibi, annis XVII. mens. VI. & diebus XXV. Hunc namque, eâdem causa, quâ & suus prædecessor videlicet, quia Anthimum hæreticum restituere noluit, ad Theodoram Augustam Constantinopolim ductum fuisse tradunt: ubi & præcepto ipsius Augustæ ita crudeliter verberibus cæsus fuit, ut paululum abfuerit quin & tum in eis moreretur: postea cum etiam in proposito constanter persisteret: injecto in collo ei fune tanquam latro per totam Urbem tamdiu tractus fuit, donec expiravit, cujus corpus postea Romam delatum apud sanctum Marcellum, viâ salariâ, honorifice sepelitur: & post sedes vacavit mensibus III. & diebus XV.

Regina Augusta pontificem occidere fecit Constantinopoli.

Papa LXIII. *Anno Christi 552.*

Pelagius Papa ejus nominis primus, natione Romanus, patre Joanne: post Vigilium pontificem sedit annis XI. & diebus XIX. Hic etsi multis in periculis Ostrogothorum maxime fuerit, nequaquam tamen Christi Ecclesiam deseruit: sed ad eandem confirmandam multa, Gratiano referente, constituit:

ſtituit: & primo Clericis in ſacris conſtitutis mandavit ut ſeptem horas Canonicas quotidie celebrarent: ut habetur in Decretis XIX. diſt. c. Eleutherius frater. Hic autem accuſatus fuit, quod malorum Vigilii Papæ cauſa fuiſſet: ſed ipſe Clero & populo congregato, Crucem Domini tangens atque Evangelium, juramento ſuſcepto, à tanto ſe crimine purgavit. Et demum cum ſacris ordinibus, bis in Decembrio menſe habitis, Presbyteros XXVI. Diaconos XI. & Epiſcopos per diverſa loca numero XXXIX. creaſſet, è vita diſceſſit: & in Baſilica Petri ſepultus fuit: & tunc ſedes vacavit menſibus III. & diebus XXVI.

Horas Canonicas Clerici in ſacris conſtituti dicere debent ſub pœna peccati mortalis.

PAPA LXIV. *Anno Chriſti 563.*

IOANNES tertius Papa, natione Romanus, patre Anaſtaſio, illuſtri viro natus: poſt Pelagium pontificem, ſedit annis ferme XIII. Vir quidem prudentiſſimus, mitiſque: cujus tempore Armeni Chriſti fidem publice ſuſceperunt: licet multarum rerum perturbatione, poſtmodum ad fabricas converſus, multa ſanctorum Cimiteria in Vrbe reſtituit, & Apoſtolorum Philippi & Iacobi Eccleſiam à Vigilio Papa inchoatam perfecit.

Armeni fidem recipiunt.

Ejus tempore multa signa in Cœlo apparuere & præsertim in Italia

fecit. Ejus autem Pontificatus anno octavo, igneæ acies per Italiam in Cœlo sanguinem emittentes visæ sunt: & in Liguria præsertim mira quædam signacula, Gregorio teste, apparuere per domos, ostia, vasa & vestimenta: quæ si quis abstergere tentasset, eo magis multiplicabantur. In immensum etiam Tyberis fluvius ita excrevit, ut sua inundatione populo Romano magnas intulerit calamitates, idque in multis urbibus contigisse dicitur: quæ quidem prodigia cladem mox Italiam passuram portendebant: quod brevi post evenit. Denique Ioannes hic perturbationum ac dolorum plenus, ætateque grandævus XIII. pontificatus sui anno vitâ decessit, & in beati Petri Basilica sepultus fuit: & tunc sedes vacavit menses x.

Papa LXV. *Anno Christi 576.*

Benedictus primus Papa, natione Romanus, patre Bonifacio: post Ioannem sedit annis IV. mense uno, & diebus XXVIII. Vir sane optimus, & tanto honore dignus: qui & Italiæ & præsertim Romæ fame laboranti, una cum Tiberio Augusto subvenit. Maxi-

mam enim frumenti quantitatem ab Ægypto advehens urbem ipſam ab inediâ conſumptam relevavit. Verum paulo poſt ex ſollicitudine ac dolore: quem in urbis calamitatibus, ac totius Italiæ ob Longobardorum vexationes contraxerat, mortem obiit. In cujus Tumba ſic ſcriptum tradunt: *Vrbem & Italiam à fame liberavit.*

EPITAPHIUM.

Magna tuis monumenta pater Benedicte relinquis,
Virtutum titulus, ô decus atque dolor.

In ejus morte ſedes vacavit menſes II. & dies X.

PAPA LXVI. *Anno Chriſti 580.*

PELAGIUS ſecundus Papa, natione Romanus, patre Vingeldo: poſt Benedictũ pontificem, ſedit annis X. menſ. II. & diebus X. Hic cum abſq; Principis juſſu præter conſuetudinem ordinatus eſſet pontifex, timens ſibi Gregorium Monachum, virum approbatũ Conſtantinopolim ad placandum Imperatorem miſit, qui eo accedens, omnia ex pontificali ſententia apud Imperatorem perfecit, atque ibi Moralium libros in Iob compoſuit: & Euthitium ejuſdem urbis Epiſcopum ita Auguſto pręſente diſputando convicit, ut omnia quæ de reſurrectio-

rectione male ſenſerat, retractare coactus fuerit: ipſe enim Euthitius multa de eo articulo contra orthodoxam fidem exponebat. Pelagius autem hic poſteaquam Hermetis Martyris cimiterium & ſancti Laurentii Baſilicam à fundamentis extruxiſſet: & ipſum Gregorium, rogatu populi Romani ad urbem reduxiſſet, peſtilentiâ quæ tum maxime totam vexabat Italiam conſumptus eſt, & in Vaticano ſepultus: & tunc ceſſavit Epiſcopatus, menſes VI. dies XXVI.

Papa LXVII. *Anno Chriſti 590.*

Gregorius Magnus Papa, ejus nominis primus, natione Romanus, patre Gordiano, viro Senatorio: poſt Pelagium pontificem ſedit annis XIII. menſ. VI. & diebus X. Doctor quidem eruditiſſimus, humillimuſque, atq; ſanctiſſimus, qui primus omnium pontificum ſe ſervum ſervorum Dei nominavit ac ſcripſit: hic ut dictum eſt primo Monachus & Levita exiſtens: pontificale munus in multa rerum perturbatione, tandem invitus ſuſcepit: in quo ſane ita vixit, ut uſque ad tempora noſtra neminem ex ſucceſſoribus habuerit parem, ne dum ſuperiorem, vel

Doctor Eccleſiæ, primus ſervus ſervorum Dei ſe nominavit.

vel sanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Eapropter merito terrestris Angelus vocari promeruit. Hic itaque suscepta dignitate Synodum apud sanctum Petrum XXIV. Episcoporum habuit, in qua quidem, Gratiano testante, multa sustulit quæ nocitura erant, & multa edidit quæ profectura fidei nostræ videbantur, & præsertim quæ subjecta sunt ordinavit: in ea quippe Synodo primo quatuor Concilia, sc. Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, decreto publico approbavit & confirmavit: nec non & quintum veneratus est, ut habemus in Canon. dist. XV. c. Sicut sancti Evangelii. Vetuit item eo in Concilio, ut nullus Bigamus ordinaretur Presbyter. Mandavit præterea ultimam defuncti voluntatem modis omnibus observari debere, XIII. q. I. c. Voluntas ultima. Vetuit item monasteria monialium introire, & eorum commatres fieri posse. Addit denique quadragesimali jejunio IV. dies, primo videlicet quartam, quintam, sextam feriam & Sabbathum, ut habetur de Cons. dist. V. c. Quadragesimam. Introitumque Missæ, cum uno versu alicujus Psalmi ordinavit: ejus etiam inventum fuit, ut novies Kyrie-

Vltima defuncti voluntas omnino observetur.

Kyrieleison novies in Missa dici ordinat.

Deus in adjutorium in horis Canonicis ordinat.

Letaniæ majores.

Kyrieleison diceretur, & Alleluja, & offertorium, ac post communionem caneretur idem similiter, in Canon. addidit. Diesque nostros in sua pace disponat mandavit: rursus in principio omnium horarum Canonicarum, Deus in adjutorium meum intende, cum Gloria patri dici debere. Supplicationesque majores propter pestem sedandam atque stationes pro majori parte instituit. Quid plura? omnem Ecclesiastici officii institutionem ipse sanctissimus pontifex instituit & approbavit: ipse quoque adhuc Monachus in Sicilia, sex monasteria ex paternis facultatibus ædificavit. Domum insuper suam Romæ religioni dedicavit. Ipse etiam Trajanum Imperatorem ab inferno liberavit: pauperes præterea in domum paternam undique confluentes excepit, & in vita ciboque ac potu semper ministravit: fuit denique vir hic omni laude dignissimus, si vitam, si mores doctrinamque inspicias, & tum in divinis rebus ac in humanis perspicias: hic quoque Anglos omnes & Visegothas hæreticos ad fidem Christi convertit, & ad unionem veritatis reduxit. Confirmata denique hoc pacto ex omni parte Ecclesia, sanctissimus hic Gregorius, secundo Phocæ Imperatoris anno migravit ad Dominum. Cujus cor-

corpus in divi Petri Basilica, omnibus conlachrimantibus IV. Idus Martii sepultum fuit, atque eo die ejus natale celebratur. Eoque mortuo sedes vacavit mensibus V. & diebus XIX.

PAPA LXVIII. *Anno Christi 603.*

*SAVINIANUS Papa, cujus patria ignoratur, post Gregorium factus pontifex, sedit anno uno, mens. V. & diebus IX. Hic statuit ut horæ diei cum Campanis pulsarentur in Ecclesiis, distinguerenturq; officii gratia: ut lampades accensæ continue in templis retinerentur. Verum cum gestis optimi beati Gregorii aliquantulum adversaretur, eo quod in ipsius pontificatu fames plurimum invaluisset, instarentq; pauperes, ut Gregorii pietatem æmularetur, nil aliud respondisse fertur, quam Gregorium popularem famam affectantem Ecclesiæ patrimonium largitionibus dissipasse. Tanta insuper ira & invidia erga Gregorium exarsit, ut ejus libros exuri tentaverit. Unde & beatus Gregorius eidem per visum apparuit, & ter dure redarguit: quartoque cum se corrigere nollet, ab eodem in capite percussus expiravit. Cujus quidem cadaver veluti infamis ad pontem Mil-

** Alii legunt Sabinianus.*

In horis Canonicis Campanas pulsare præcepit.

Tertius pontifex infamis & à beato Gregorio percußus expiravit.

vium delatum in quadam Basilica Petri sepelitur: & judicio trium pontificum habitus est qui culpabili morte damnatus sit: & tunc cessavit Papatus menses x. & dies xx.

Papa LXIX. *Anno Christi 605.*

Bonifacius Papa III. post Savinianũ pontificem sedit mens. viii. & diebus xxviii. Vir sacerdotio satis dignus. Hic constituit ut pannus nitidus, quod Corporale dicitur, super altari in consecratione semper à sacerdote poneretur, de Cons. dist. 1. Hic etiam Constantinopolitanum Patriarcham compescuit, sese principem appellantem, jubente Phoca, ut Romanæ Ecclesiæ obtemperaret, xxii. dist. ii. c. Renovantes: ac sic tandem è vivis discedens, in Basilica Petri sepelitur: & tunc vacavit sedes mensem unum & dies vi.

Papa LXX. *Anno Christi 606.*

Bonifacius Papa IV. natione Marsus, de Civitate Taleria, patre Ioanne Medico: post Bonifacium prædictum pontifex factus, sedit annis vi. menses viii. & diebus xii. Hic tem-

templum sanctæ Mariæ rotundæ, quod veteres Pantheon appellabant, à Phoca Imperatore impetravit, quod ejectis prius Gentium simulachris, IV. Idus Maji in honorem beatæ Mariæ virginis, omniumq; Sanctorũ consecravit. Quo facto etiam paternam domum in Monasterium redegit: suosque fundos eidem in Monachorum usum adscripsit, quibus & prædicandi, baptizandique, ac absolvendi potestatem tribuit. Quibus gestis, inde paulo post diem extremum clausit, & in Basilica beati Petri sepultus fuit: & postmodum propter pestem & aquarum inundantiam cessavit Episcopatus menses VII. & dies XXV.

Hic consecravit Ecclesiã sanctæ Mariæ rotundæ.

PAPA LXXI. *Anno Christi 613:*

DEUSDEDIT Papa, natione Romanus, post Bonifacium prædictum pontificem sedit annis IV. Hic cum esset optimus pater, Clerum mirum in modum dilexit & auxit: & tantæ, sicut fertur, sanctitatis fuit, ut quondam leprosum sibi obvium suo osculo statim liberaverit. Hujus namque tempore multi terræmotus fuere, & scabies quædam ita ad elephantiam tendens, ut deformitate homines cognosci

non possent. Obiit denique quarto ferme pontificatus sui anno: & in divi Petri Basilica VI. Idus Novembris sepultus est, quo mortuo, sedes vacavit mensem unum, dies XVI.

Papa LXXII. *Anno Christi 617.*

Bonifacius V. Papa, natione Campanus, patre Ioanne: post Deumdedit pontificem sedit annis V. & diebus X. Vir certe singularis humanitatis atque clementiæ. Qui cum esset doctus, multa ad justitiam pertinentia constituit: videlicet ne quis ratione delicti ad Ecclesiam confugiens, à nemine extrahi posset. Voluit item ut testamenta jussu principis facta ubique valerent, & cum multa sanctitate insignitus esset, Clericos religiose & honeste viventes unice diligebat. Tandem cum nonnulla cimiteria extruxisset ac dedicasset, defunctus in Basilica divi Petri, conlachrimantibus omnibus sepultus est: cessavitque Episcopatus dies XIII.

Maxima jurisdictio Ecclesiarum.

Testamenta jussu principis facta valent.

Papa LXXIII. *Anno Christi 622.*

Honorius primus Papa, natione Campanus, patre Petronio viro Consulari: Bonifacio prædicto

dicto pontifici subrogatus, sedit annis XII. mens. XI. & diebus XVII. Hic sanctissimus fuit pontifex. Qui collapsum quasi Clerum & doctrina & exemplo ac moribus renovavit, atque multas in Urbe Ecclesias restituit: & beati Petri Basilicam tegulis æneis, è templo Romuli ablatis cooperuit: ædemque sanctæ Agnetis viâ Numentana extruxit: & sancti Pancratii, via Aurelia: & in aquis Salinis sancti Anastasii. Cujus corpus ex Perside delatum, Heraclius Imperator eidem miserat, atque alias multas ædes ædificavit. Qui, cum Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, qui Heraclionem Imperatorem deceperat, relegasset, vita decessit, & in beati Petri Basilica sepultus fuit: & tunc cessavit pontificatus mens. VII. & diebus XVIII.

Hic cooperuit Petri Basilicam tegulis æneis.

PAPA LXXIV. *Anno Christi 634.*

*SEVERUS primus Papa, natione Romanus, patre Labieno, post Honorium pontificem sedit anno uno. Vir siquidem singularis pietatis & religionis, pauperum præcipue amator, & in calamitosos benignus, atque in reliquos omnes gratiosus & munificus, & reparando collapsas Ecclesias splendidus: qui

** Platina Severinus.*

cum in his summopere versaretur, statim obiit: & in beati Petri Basilica sepultus fuit. Quo mortuo sedes vacavit menses IV. & dies XXX.

Papa LXXV. *Anno Christi 635.*

IOannes IV. Papa, natione Dalmata, patre Venantio, scholastico viro, post Severum pontificem sedit anno uno, mensibus IX. & diebus XVIII. Hic pontificatu suscepto statim mandavit: Si quis res Ecclesiæ aliqua temeritate invadere præsumeret, ad quadruplum restituere cogeretur, ut habemus in Can. I. q. II. c. In antiquis. Et cum esset singularis pietatis vir, ex reliquis thesauris quos Isaurus Exarchus in Lateranensi Ecclesia reliquerat, multa captivorum millia, per Istriam & Dalmatiam à captivitate redemit. Quibus expletis plenus operibus bonis obdormivit in Domino, & quarto Idus Octobris in beati Petri Basilica sepelitur: & tunc cessavit Papatus mensem unum & dies XIII.

Hic multos de Captivitate redemit.

Papa LXXVI. *Anno Christi 636.*

THeodorus Papa primus, natione Græcus, ex Hierosolyma ori-

oriundus, patre Theodoro Episcopo, post Ioannem pontificem sedit annis VI. mens. V. & diebus VIII. Qui pontificatu suscepto, omnia quæ ad religionis Christianæ dignitatem pertinere arbitrabatur, curioso circumspexit animo, maximeque erga pauperes mira usus fuit pietate. Constituit autem hic inter cætera Cerei Paschalis benedictionem fieri in Sabbatho sancto. Theodorus autem his gestis ad rem divinam conversus multorum Sanctorum corpora exornavit, & potissimum Primi & Feliciani, unamque Basilicam apud pontem Milvium viâ Flamineâ ædificavit: quibus peractis defunctus est, & in beati Petri Basilica, pridie Idus Maji sepultus: & post cessavit Episcopatus dies XX.

Cereus benedicatur in Sabbatho sancto.

PAPA LXXVII. *Anno Christi 643.*

MARTINUS Papa, ejus nominis primus, patria Tudertinus, patre Fabricio, post Theodorum pontificem, sedit annis VI. mense uno, & diebus XXVI. Qui pontificatu inito statim Constantinopolim Legatos misit: qui Paulum Patriarcham adhortarentur, ut hæresi dimissa, fidem Catholicam observare dignaretur. At ipse non modo monitis Pontificis obtemperare

voluit: ſed etiam legatos pontificis in diverſas inſulas Conſtantini juſſu & auctoritate relegavit. Quamobrem Martinus Synodum CL Epiſcoporũ Romæ congregavit: In qua Cyri, Alexandri, Sergii & Pyrrhi Conſtantinopolitanorum Patriarcharum condemnationem confirmavit, & Paulum Patriarcham quam maxime privavit: propter quod Conſtantinus Imperator indignatus Olympium cubicularium ſuum, Italiæ Exarchum ſtatim creavit, mandans ei ut Manichæorum ſectam per omnem Italium extenderet, Martinumque pontificem aut captum ad ſe mitteret, aut certe jugularet. Olympius itaque Romam cum veniſſet: inventa Synodo nulli ſuum errorem ſuadere potuit. Ob quam rem lictorem interpoſuit, qui Martinum in Eccleſia beatæ Mariæ majoris interficeret, quod ille ſubita cæcitate percuſſus perficere nequivit. Martino autem reconciliatus Olympius paulo poſt vita deceſſit: ſed Conſtantinus iterato Theodorum Exarchum in Italiam mittens, juſſit omnino ut Martinum pontificem ad ſe vinctum perduceret. Veniens quoque Theodorus Romam, cum ad pontificem ſalutatum iſſet, ei confeſtim cathenas injecit, & vinctum Conſtantinopolim miſit. In-

Indeque usq; ad Cersonam Civitatem in exilium actus fuit. In qua Urbe beatus Clemens Papa, ut diximus, longe antea exulaverat, ubi & ipse paulo post vitam finivit, multis virtutum signis usque in hodiernum diem refulgens: & quia hic inter sanctos martyres relatus est, ejus festum XII. die mensis Novembris celebratur. Hic autem pontifex ea in Synodo multa constituit ad decorem religionis Christianæ maxime pertinentia. Et primo præcepit Clericis, ne omnino comam nutrirent, ut habetur in Canon. XXIV. dist. c. Non liceat. Mandavit item ut sponsi & sponsæ ante carnalem copulam à sacerdote benedicerentur. Præcepit denique omnibus Episcopis ut sacrum chrisma singulis annis conficerent: & per omnes Ecclesias suæ Diœcesis destinarent: eo itaque mortuo cum Romæ ignoraretur, XIV. menses vacavit Episcopatus.

Pontifex Constantinopol. vinctus mittitur.

Clerici comam non nutriant.

PAPA *LXXVIII. Anno Christi 650.*

EUGENIUS Papa primus, natione Romanus, patre Ruffiniano, post Martinum pontificem sedit annis quasi tribus: vir certe miræ pietatis, religionis, mansuetudinis & munificentiæ: qui

&c, Gratiano referente, statuit, ut quilibet Episcopus carceres haberet ad pœnitentiam delinquentium Clericorum: ut habemus in decretis LXXXI. dist. c. Sacerdos. & post multa defunctus denique quarto Nonas Iunii in Petri Basilica sepelitur: & tunc sedes vocavit mensem unum, & dies XXIX.

Hic ordinavit carceres ad pœnitentiã Clericorum.

Papa LXXIX. *Anno Christi 653.*

Vitellianus Papa, ex oppido Segimensi, Provinciæ Volscorum, patre Anastasio natus: post Eugenium suffectus, pontif. sedit annis XIV. mens. VI. Vir quidem optimus, & divini cultus cupidus atque assiduus: quam ob rem & Ecclesiasticam regulam composuit, cantumque ordinavit adhibita Organi consonantia: hic Theodorum Monachum virum optimum, doctissimumque in Angliam misit, & Cantuariensi Ecclesiæ Episcopum præfecit: qui Theodorus Anglos prædicatione & exemplo ad Christum convertit, & in fide, quamdiu vixit, optime continuit. Unde & librum egregium conscripsit, quo declaravit quâ pœnitentiâ dilui unumquodq; peccatum posset, de quo etiam in jure Canonico persæpe fit mentio: tandem cum Vitellianus hic Ecclesiam in omnibus

Hic instituit regulam & cantum.

bus bene gubernasset VI. Kal. Februarii defunctus, in beati Petri Basilica sepultus est: vacavit tunc sedes menses IV. dies XV.

PAPA LXXX. *Anno Christi 667.*

DEODATUS Papa, natione Romanus, post Vitellianum pontificem sedit annis IV. mens. II. & diebus V. Fuit hic homo sanctimonia & religione plurimum decoratus: in delinquentes quidem clemens, in pauperes pientissimus, in hospites benignus: & erga miseros & calamitosos plurimum misericors: qui inito pontificatu monasterium, ubi ipse vitam monasticam duxerat, confestim in Celio monte, & ædificiis & fundis plurimum auxit: Ecclesias alias nonnullas instauravit: & ad abolenda prodigia quæ sæpenumero tempore suo apparuerant, supplicationes frequentes habuit: tandem cum è vita excessisset, collachrymantibus omnibus in Vaticano, in Basilica Petri sepultus fuit: & tunc cessavit Papatus menses IV.

PAPA LXXXI. *Anno Christi 672.*

DONUS Papa primus, natione Romanus, patre Mauritio genitus,

post Adeodatum pontificem sedit anno uno, mens. 11. & diebus v. Quo quidem anno maximi hymbres fuere, & multi fulminibus afflati interiere, & frumenta in agris emacruere. Unde ob hoc pontificatum in maximis turbinibus suscepit: fuit autem adeo sanctitate & doctrinâ valens, ut Clerum diversis distinxerit ordinibus, diversisque auxerit honoribus, & Ravennatem Ecclesiam à Romana jam diu segregatam, & eam ob rem Allocephalam appellatam, sedi Apostolicæ multa cum pace reduxerit. Theodorus enim ejusdem Ecclesiæ præses & Episcopus sanctissimus, in hanc opinionem omnes reduxit. Hic prætereà quosdam Monachos Syros, cum Nestorianis sentientes, damnavit: variisque monasteriis eos divisit. Hic insuper beati Petri vestibulum, quod Paradisum vocant, marmoribus ornavit: ac etiam Ecclesiam Apostolorum, viâ Hostiensi, & beatæ Euphemiæ viâ Appiâ sitam instauravit, atque alia multa divino honori contulit beneficia: defunctus tandem in Basilica Petri sepultus fuit: & tunc cessavit Episcopatus menses duos.

PAPA LXXXII. *Anno Christi 673.*

AGATHON primus Papa, natione Siculus, patre Romano, Dono suffectus, sedit annis II. mens. VI. & diebus XV. Hic Monachus existens, ob maximam ejus sanctitatem, IV. pontifex ex Monachis creatus est. Pontifex certe tantæ sanctitatis & perfectionis ut leprosum obvium sibi factum osculando satis liberaverit. Tantæ etiam clementiæ & mansuetudinis extitit ut neminem à se unquam tristem dimiserit: habuitque ut præmissum est Imperatorem moribus & virtutibus suis consimilem. Quapropter Monothelitarum causa Concilium apud Constantinopolim habere voluit. Unde & eidem legatos cum primum pontificatum iniit, Constantinopolim misit: quos perbenigne suscipiens adhortatus est, ut omissis altercationibus, ex æquo & bono unam Ecclesiam ex duabus facerent. Hujus tempore post Lunæ & Solis eclipsin, tanta peste apud Romam laboratum est, ut etiam istum pontificem, virum sanctissimum, quarto Idus Ianuarii sustulerit. Quo mortuo, eam ob rem cessavit Papatus anno uno & mensibus VII.

Papa LXXXIII. *Anno Christi 676.*

Leo ejus nominis II. Papa, natione Siculus, patre Paulo, Agathoni pontifici succedens, sedit mensibus x. & diebus XVII. Vir quidem sanctitate & scientiâ conspicuus. Cujus scripta extant elegantissima & ultra doctrinam, atque eloquentiam: singularis religionis, pietatis atque clementiæ fuit pontifex: qui omnes verbis & exemplo ad justitiam, ad fortitudinem, ad humilitatem, benignitatemque hortabatur. Hic quippe in Missarum celebratione pacis osculum, post Agnus Dei dare instituit: Concessitque, necessitate urgente, omni die baptizari debere: sicut habemus in Canon. dist. IV. c. Hi quoque. Obiit denique vir optimus atq; sanctissimus IV. Kal. Iunii. Quo quidem die ejus natale celebratur: & collachrymantibus omnibus in Ecclesia beati Petri cum magna reverentia sepelitur: & tunc sedes vacavit mens. XI. & dies XXI.

Institutio pacis dandæ in Missa & omni die baptizare.

Papa LXXXIV. *Anno Christi 677.*

Benedictus II. Papa, natione Romanus, patre Joanne natus, post

post Leonem pontificem ſedit menſ. x. & diebus xII. Is unus fuit qui merito omnium ſuffragiis in demortui Leonis loco ſurrogari debuit: nam ab ineunte ætate exemplo militare cepit. Et divinis Scripturis ab ipſa pueritia operam dedit: adeo ut in ipſis doctrina & exercitatione ſingularis tunc haberetur. Ob cujus ſanctitatem permotus Imperator, ad eum hac ſanctione miſit; ut deinceps quem Clerus & exercitus Romanus eligeret in Papam, nulla Imperatoris, aut expectatâ licentiâ, è veſtigio confirmaretur, quod diu obſervatum eſt. Hic itaque beati Petri, beatique Laurentii in Lucina, ac beati Valentini martyris, via Flamminea, nec non & Virginis, Dei genetricis ad martyres Baſilicam reſtituit; eaſque aureis atque argenteis vaſis, veſtibus, aliiſque ornamentis plurimum exornavit. Undecimo vero menſe, omnibus carus atque acceptus è vita deceſſit & apud ſanctum Petrum in Vaticano ſepultus fuit, Idibus Iunii: & poſt ſedes vacavit menſ. II. & diebus xv.

PA-

Papa LXXXV. *Anno Christi 679.*

Ioannes Papa V. natione Antiochensis, patre Cyriaco, post Benedictũ pontificem sedit anno uno, & diebus x. Vir singularis religionis & mansuetudinis atque doctrinæ. Qui libellum de pallii dignitate composuit, & propterea in Ecclesia sancti Salvatoris apud Lateranensem ab Episcopis Ostiensi, Portuensi & Viletrensi consecrari se fecit: quem quidem ritum cæteri postea observavere, & usque in præsentẽ observatur diem. Obiit autem post annum IV. Nonas Augusti, & apud sanctum Petrum sepultus fuit.

Consecratio pontificis Romani.

Papa LXXXVI. *Anno Christi 680.*

Conon Papa, Origine paterna Trax, patre Benedicto natus, post Joannem pontificem factus, sedit mens. XI. & diebus III. Vir quidem bonus & tanto principatu dignus, & eas ob res à nonnullis Angelicus vocatus, eo quod erat veneranda canicie & formæ dignitate insignissimus: cumque Romani Petrum hunc Archi-Episcopum, & exercitus Theodorum Presbyterum Cardinalem

Papa Angelicus vocatus.

lem sibi peterent, Theodorus Exarchus Cononem hunc ob ejus virtutes acclamantibus cunctis, confirmavit: qui, inito pontificatu, statim in valetudinē incidit de qua & mortuus est, ac sepultus apud sanctum Petrum, undecimo Kal. Octob. & cessavit sedes quasi mens. III.

PAPA LXXXVII. *Anno Christi 681.*

SERGIUS Papa primus, natione Antiochenus, patre Tyberio natus, Cononi pontifici succedens, sedit annis XIV. mens. VIII. & diebus XIV. Magnæ doctrinæ & sanctitatis vir, quam ob causam, licet maxima cum difficultate, quia cum alii Theodorum, alii Paschalem Archi-Diaconum postularent, in Cononis defuncti locum suffectus est: quem postea Iustinianus Imperator: cum suæ Synodi nollet acquiescere, ad se vinctum per Zachariam protopsatarium suum Constantinopolim trahere præcepit: sed milites Italici id admittere & tolerare noluerunt: & nisi ab eodem pontifice protopsatarius tutatus fuisset, protinus trucidatus fuisset: verum cum pacem obtinuisset, ut vir sanctissimus, ad Ecclesiarum instauratione manum apposuit, & quam maxime Petri Basilicam semidirutam resti-

restituit, atque multa dona pretiosa obtulit: ubique cum Basilicam reficeret, partem Dominicæ Crucis in arca eburnea reperit, atque beati Leonis Papæ corpus vilissime jacens, Domino revelante, in honestiorem locum transtulit. Hic inter cætera constituit ut Agnus Dei, ter ante fractionem panis Christi, semper in Ecclesia caneretur. Ejusque virtute & sanctitate, Saxones omnes fidem nostram susceperunt. Tandem vero in Domino quiescens VI. Idus Septembris, collachrymantibus cunctis, in Basilica Petri sepelitur: & tunc cessavit Episcopatus dies L.

Crucis Dominicæ pars invenitur.

Agnus Dei in Ecclesia dici jubetur.

Papa LXXXVIII. *Anno Christi 695.*

Ioannes ejus nominis Papa VI. patre Petronio Græco oriundus, post Sergium pontificem, annis III. & mensibus III. sedit. Hic, ut multi asserunt, martyrio coronatus est: sed à quibus, non satis constat: qui & beati Andreæ Basilicam in Vaticano collapsam, restituit, & beati Petri altare cum duabus columnis detexerat, levaque exornavit: atque etiam, ut erat animo pius, ex ærario Ecclesiæ multos captivos redemit, & in Samum cum pace

Hic ornavit beati Petri Apostoli altare & multos captivos redemit.

pace remisit: mortuus tandem martyr ad Catacumbas, viâ Appiâ apud sanctum Sebastianum sepelitur: & tunc sedes vacavit mense uno & diebus xix.

Papa LXXXIX. *Anno Christi 698.*

Ioannes VII. Papa, ejus nominis ex patre Gregorio Græco natus, post alterum Ioannem pontificem, hoc anno suffectus, sedit annos II. mens. VII. & dies XVIII. Homo sanctitate & eloquentia clarissimus, qui & ipse in Basilica Petri Oratorium in honorem Genetricis, adhuc extans, extruxit, & sanctæ Euphemiæ Basilicam restituit, cimiteria quoque nonnulla, & præsertim Sanctorum Marcellini, Marci & Damasi pontificum exornavit: alias etiam Basilicas picturis & Sanctorum historiis cultiores reddidit. Is tandem omni gravitate præclarus XV. Kal. Decembris, in Basilica quam construxerat, sepultus est: & vacavit sedes menses III.

Papa XC. *Anno Christi 701.*

Sisinius Papa, natione Syrus, Ioanni VII. in pontificatu suffectus, sedit tantummodo dies xx. Quo tem-

7. Schisma. tempore magnum schisma fuit: qui licet in pontificatu, podagrâ adeo laboraret, ut non modo ambulare, verũ nec cibum per se sumere posset: tamen ita Reipublicę & urbi Romanæ curam gessit: & nil prætermisit, quod bonum pastorem deceret: sed subita morte correptus, in Basilica Petri sepultus est: & tunc sedes vacavit mensem unum, dies XVIII.

Papa XCI. *Anno Christi 701.*

Constantinus Papa primus, natione Syrus, post Sisinium pontificem sedit annis VII. & diebus XV. Vir doctissimus, & linguâ Latina, Græcâq; eruditus: cujus tempore Romæ, fame triennio laboratum est: in qua quidem penuria pauperes quam maxime juvit: unde & omnes pontificem istum è Cœlo missum acclamare ceperunt: hic, ut præmissum est, ad Iustinianum Imperatorem, amoris gratiâ, Constantinopolim, se transtulit. Inde Iustiniano defuncto, Philippum Successorem hæreticum declaravit. Saxonumque duos Reges, ut Paulinus lib. VI. scribit, voti religionisque causa Romam venientes baptizavit: qui etiam regno & pompis renunciantes mo-

Duo Reges Saxonum baptizantur.

monasterium ingressi sunt: ubi etiam paulo post devotissime obiere: nec etiam ipse Constantinus diu supervixit, quo mortuo in Basilica sancti Petri sepultus fuit: & tunc cessavit Episcopatus menses duos.

PAPA XCII. *Anno Christi 708.*

GREGORIUS ejus nominis Papa II. patria Romanus, patre Marcello natus, post Constantinum pontificem sedit annis XVI. mens. IX. & diebus XV. Vir certe optimus, atque sanctissimus, tantæque eruditionis ac facundiæ habitus, ut facile convinceret omnes male de Catholica fide sentientes, qui pontificatu inito statim urbis mœnia ex parte collapsa restituit: ac templa Petri & Laurentii extra muros instauravit: atque idem in aliis Basilicis effecit, ac eas muneribus multis exornavit: monasteriumque insuper viâ Hostiensi, non longe à Pauli Basilica positum restituit, nec non & beati Andreæ monasterium, quod Barbaræ nuncupatur: ejus quoq; operâ Germani populi ad fidem sunt conversi. Indeque Leonem Imperatorem hæreticum, habita Synodo excommunicavit: eo quod Sanctorum imagines abolere non desi-

Germani convertuntur.

Hic Leonem imperatorem hæ-

deſineret. Denique vir ſanctus poſtquam domum paternam ſanctæ Agathæ ædificaſſet, in eaque monaſterium extruxiſſet: ac multos, ſuo exemplo ad virtutem & ſanctitatem excitaſſet; III. Idus Februarii ad Dominum evolans ejus corpus in Baſilica beati Petri ſepelitur: & tunc ceſſavit Epiſcopatus dies XXXV.

veticum excommunicavit, eoq; imagines Sanctorum cremari fecit.

Papa XCIII. *Anno Chriſti 729.*

Gregorius Papa ejus nominis III, patre Ioanne Syro natus, poſt Gregorium pontificem ſecundum ſedit annis X. menſes VIII. dies XXIV. Vir ſingularis doctrinæ & eloquentiæ, & in Lingua tam Græca quam Latina ſufficienter inſtructus: atque fidei Orthodoxæ acerrimus defenſor. Qui ob pietatem & humanitatem adeo Chriſti pauperes complectebatur: ut neminem ſine eleemoſyna à ſe unquam dimiſerit: hic itaque pontificatu inito ſtatim Concilium mille pene Epiſcoporum Romæ celebravit, in quo quidem Leonem, ut dictum eſt, imperio ſimul & fidelium communione privavit: eo quod ſtatuas & Sanctorum imagines demolitus eſſet. Declaravitque in eo, imaginum Sanctorum venerationem eſſe licitam.

Imagines Sanctorum venerari ſtatuit.

citam. Et hujuſmodi ſtatim, violatores excommunicationis ſententia innodavit: ut habetur in Canone de Conſ. diſt. III. c. Perlatum. Hic Oratorium pulchrum in beati Petri Baſilica conſtruxit, in quo de reliquiis fere omnium Sanctorum recondens ibidem quotidie celebrari mandavit: in Canone quoque Miſſæ adjunxit hæc verba, Quorum ſolennitas hodie, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum: hic nonnulla templa vetuſtate & incuriâ prædeceſſorum collapſa, inſtauravit, nec non & multa monaſteria, partim reſtituit, partimq; à fundamentis erexit & Monachis replevit: quibus & regulam integre ſancteque vivendi tradidit: Mœnia inſuper Vrbis collapſa multis in locis, reſtituit. Idem fecit centumcellis jam prope deſertis: Tandem de Deo, deque hominibus bene meritus, IV. Kal. Decembris moritur, & in divi Petri Baſilica ſepelitur:& tunc ceſſavit Epiſcopatus dies IX.

PAPA XCIV. *Anno Chriſti 740.*

ZACHARIAS Papa, natione Græcus, patre Polychronio natus, poſt Gregorium prædictum pontificem ſedit

ſedit annis x. menſ. 11. dies xv. Hunc inter optimos Pontifices jure connumerandum puto: quod mitiſſimus, ſuaviſſimus, gratioſuſque ac omni virtute præditus fuerit, ac etiam Cleri, populique Romani amator. Qui inito ſuo pontificatu omnem Italiam bello ardentem inveniens, virtute ſua, ſanctitateque ac prudentia ad concordiam perduxit: poſtea ad templa ruinam minitantia reſtituenda manum apponens, multa reſtituit, & Lateranenſes ædes auxit & exornavit: Petri quoque Baſilicam confractam inſtauravit. Eique veſtem inſignem, quam piviale dicimus, auro ac gemmis diſtinctam condonavit: in qua depicta erat polimito opere, nativitas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Templis quoque ab ipſo inſtauratis extructiſque fundos unde Sacerdotes viverent, deſignavit. Cumque Græcâ, Latinâque Linguâ eruditiſſimus haberetur, IV. Dialog. librum beati Gregorii in Græcum vertit, atque alia quædam compoſuit: Tandem cum populum ſibi creditum, ſancte & integre per decennium gubernaſſet, Idibus Martii ſanctum Deo reddidit Spiritum, & in beati Petri Templo ſepelitur: & ceſſavit Epiſcopatus dies XII.

PA-

PAPA XCV. *Anno Christi 750.*

STEPHANUS Papa II. ejus nominis, patre Constantino Romano natus, post Zachariam pontifex creatus, sedit annis v. & mense uno. Vir quidem singularis religionis & prudentiæ, clerique amator, ac Ecclesiarum restitutor, atq; clarissimus in omni scientia doctor, prædicatorque acerrimus: nec non & pupillorum & viduarum defensor. Qui, ut promissum est, Astulphum Longobardorum Regem Romanos agros invadentem primo verbis & muneribus, licet frustra â tanto scelere avertere conatus fuit. Vnde lacessitus personaliter in Galliam ad Pipinum, pro auxilio implorando, proficisci coactus est. Cui Pipinus Carolum filium adolescentem, qui magnus postea dictus est, obviam ad centesimũ lapidem misit. Et ipse Pipinus rex ad tertium lapidem equo descendens, frenum papalis equi regens ad palatium usq; ita perduxit. At summus pontifex confestim Pipinum in regem consecravit, atque imperium è Græcis ad Francos transtulit: ut habetur extra de electione Venerabilem. Quam quidem ordinationem Leo tertius postea in-

Hic imperium Græcorũ transtulit ad Francos.

integrum executioni mandavit. Tandem cum Basilicas, quas Astulphus rex communiverat, restituisset, & de omnibus bene meritus esset, vi. Kal. Maji obiit, & in beati Petri Basilica sepultus fuit: cessavitque tunc Episcopatus dies quinque.

Papa XCVI. *Anno Christi 760.*

PAulus Papa primus, natione Romanus, patre Constantino natus, Stephano pontifici surrogatus: sedit annos x. & menses x. Homo sane mitissimus ac clemens: qui Christi edoctus exemplo, nulli unquam malum pro malo, sed è contrario bona pro malis reddidit, pupillorum quoque viduarum maxime curam suscipiens: etiam eleemosynis frequentissimis sustentabat. Hic inter cætera Petronellæ sanctæ corpus, cum sepulchro marmoreo, his literis notato, Petronellæ filiæ dilectissimæ; ex via Appia in Vaticanum deferri fecit. Et postea cum multas in Vrbe Basilicas, vetustate collapsas, restituisset, mortem obiit, & in Vaticano solenni pompa sepultus fuit. Quo mortuo cessavit Papatus, anno uno, & mense uno.

PA-

PAPA XCVII. *Anno Christi 770.*

CONSTANTINUS Papa, ejus nominis II. natione Romanus, Paulo pontifici succedens, sedit anno 1. & mense 1. Hic per Constantini Imperatoris, Desideriique regis favore, favente etiam Othone fratre, Nepesino duce, faventibus quoque quibusdam malivolis largitionibus & pollicitationibus corruptis ex Laico simplici in pontificem assumptus fuit. Quamobrem in Ecclesia multæ discordiæ excitatæ sunt: per quas Philippus quidam ab aliis eligitur pontifex, qui & brevi dejectus est. Constantinus autem hic pertinaciter egit ac pontificalia administravit. Sed postremo in tribus foris, ubi sancti Adriani est Ecclesia, à Clero populoque Romano Concilio congregato, Stephanus Siculus in pontificem est electus. Qui vocatis ex Francia multis Episcopis Concilium in Laterano habuit. In quo quidem Constantinum damnaverunt, & in monasterium, tanquam in perpetuo carcere incluserunt: ubi paulo post eum oculis excæcaverunt: & sunt qui hunc inter pontifices non numerant.

8. Schisma.

Hic oculis excæcatus fuit.

Papa XCVIII. *Anno Christi 771.*

STephanus Papa, ejus itaque nominis III. patre Olivo Siculo natus, dejecto Constantino prædicto, pontifex creatus, sedit annis III. menses V. & diebus XXVIII. Vir utique eruditus, ac in rebus agendis, maxime Ecclesiasticis strenuus: qui ubi pontificatum iniit, statim è Gallia præsertim & Italia Synodo congregata, Constantinum prædictum, qui Papatum invaserat, & cuncta quæ ordinaverat, abrogavit. Quibus optime ex sententia gestis institutum in ea fuit, ne quis de cætero, nisi per gradus Ecclesiasticos ascendisset, pontificatum adire præsumeret, sub anathematis pœna, sicut habetur in de XLIX. dist. c. Oportebat. Promulgatumque est in Synodo, ut quæcunque idem Constantinus in re sacra egisset, præter baptismum & Chrisma, irrita haberentur. Quibus peractis sequenti die itum est processionaliter ad sanctum Petrum cum maxima devotione, videlicet nudis pedibus, & à pontifice & ab aliis omnibus qui aderant. Tandem hic verus Petri successor & Christi Iesu imitator, omnibus

nibus consummatis, qui ad verum & optimum antistitem attinebant, v. Kal. Januarii quievit in pace, sepultusque in beati Petri Basilica: cessavit Episcopatus dies IX.

PAPA XCIX. *Anno Christi 774.*

ADRIANUS Papa primus, natione Romanus, patre Theodoro, summæ nobilitatis viro: post Stephanum pontificem sedit annis XXIII. mens. X. & diebus XVIII. Hic ex magnitudine animi, consilio, doctrinaque, atque vitæ sanctitate, cum quovis optimo pontifice comparari potest. Cujus amicitiam quærens Desiderius Rex frustratus est. Dicente eo non posse in eo confidere, qui toties fidem fregit. Quibus responsis indignatus Desiderius multa ac plurima Ecclesiæ intulit damna. Vnde cum pontifex ad Carolum Magnum reclamasset, Desiderius tandem è regno ejectus est: & pace de Longobardis parta, septimam Synodum CCCL. Episcoporum habuit. In qua primum Feliciana hæresis de imaginibus tollendis abrogata est, ut testatur Gratianus de Cons. dist. III. c. Septima. Et cum à bellis demum securus fuisset, ad exornandam Vrbem sacras-

que ædes animum adjecit. Et primo caput beati Pauli Apostoli laminis argenteis inclusit, & altare beati Petri pallio aureo exornavit, ac nonnullas Basilicas, vetustate collapsas restituit. Multos quoque aquæductus, turres & urbes, muros magnâ impensâ instauravit: quibus quam diligentissime expletis moritur; & in Petri templo VI. Kal. Ianuarij sepelitur: & tunc cessavit Papatus dies III.

Papa C. *Anno Christi 798.*

Leo Papa ejus nominis III. patre Azulpho Rom. natus, post Adrianum pontificem sedit annis XX. mens. V. & dies IX. Vir quidem doctissimus, qui ab ineunte ætate ita disciplina Ecclesiasticâ eruditus fuit: ut dignus esset, qui cæteris præponeretur. Erat præterea castus, integer, & pudicus, facundus, & doctorum virorum & pauperum amator, atque Orphanorum, pupillorumque procurator ac defensor. Qui dum aliquando Cleri processionem à beato Gregorio institutam perageret: excitato tumultu Paschalis primicerii & Campuli Presbyteri machinationibus interceptus est apud sancti Sylvestri ædem, & multis verberibus cæsus, ac lin-

linguâ, oculisque privatus in carcerem
conjectus est. Verum omnipotens Deus *Vide*
mox illi visum loquelamque restituit. *miracu-*
Vnde & postea Albini cubicularii sui *lũ gran-*
auxilio liberatus fuit, & ad Petri Basili- *de.*
cam perductus, ibidem diu latuit. Donec Vinigesius Spoletanorum dux cum cohorte accersitus, ad Spoletanam urbem eum perduceret. Quo audito ejus & Albini domus direptæ sunt. Leo autem confestim ad Carolum de injuria conquestus in Galliam perrexit: Carolus autem auditis seditiosorum in pontificem injuriis, ipsum cum honesto comitatu Romam remisit. Cui ad pontem Milvium Clerus cum ingenti gaudio, & cum omni populo obviavit. Et non multo post Carolus ipse pro componendis rebus subsecutus est: ubi ex omni Gallia & Italia Episcopos convenit: & in Petri Basilica Synodum habuit, à quibus astante populo & Clero de vita & moribus Leonis Papæ sententias peroravit. Leo autem hic offensus id judicium quam maxime expostulabat: Sed cum omnes affirmarent sedem Apostolicam caput omnium à nemine judicari debere; ipse coram Carolo & universo cœtu, sumpto in manibus Evangelio, ut habetur in Canon. 11. q. v. c. Auditu, juramento affirmabat

se omnium rerum quæ sibi objiciebantur insontem esse. Pontifex itaque infamiâ liberatus Carolo aliquam relaturus gratiam, cum videret Imperatores Constantinopolitanos ægre id nomen ferre, Idibus Decembris, anno salutis nostræ 800 in Basilica Petri post sacra solennia populi Romani precibus rogatus, Carolum Romanum Imperatorem declaratum Diademate decoravit, acclamante ter populo, Carolo Augusto ab eo coronato magno & pacifico Imperatori vita & victoria. Inunxitque eum pontifex una cum Pipino filio, quem regem Italiæ declaravit. Ac sic Carolus obliteratum jam pene in Italia Romanum Imperium reassumpsit: assumptaq; imperii dignitate, Carolus novas leges conscripsit, quas per omnem Romanum orbem observari voluit. Et pontificis decreta publico edicto itidem mandavit observari: sed & omnium Imperatorum leges sollicite observari monuit: ut habemus in Canon. x. dist. c. de Episcopis. Tandem hospitali permagnifico apud sanctum Petrum extructo, ac aliis multis, tum spiritualibus, tumque temporalibus Ecclesiæ exhibitis beneficiis, moritur, & in beati Petri Basilica, Idibus Iuniis sepelitur: & tunc cessavit sedes dies III.

Carolus Magnus inungitur Imperator.

PA-

PAPA CI. *Anno Chriſti 819.*

STEPHANUS Papa, ejus nominis IV, Iulio patre Romano natus. Hoc anno Leoni pontifici ſuffectus ſedit annos III. & menſes VII. Vir quidem nobiliſſimus, & nobiliſſimis parentibus ortus, ac multæ doctrinæ & integritatis pontifex: qui ſuſcepto pontificatu poſt tres menſes ad Ludovicum in Gallias profectus apud Aurelianos ipſum inunxit ac coronavit: atque inibi Capuanis, qui tunc invaleſcebant, ſedatis, compoſitiſque Italiæ rebus Romam rediit, ſecum Crucem magnæ exiſtimationis deferens: quam quidem Ludovicus prædictus Imperator ſuâ impensâ beato Petro dicaverat. Moriens denique hic ſanctiſſimus pontifex in beati Petri Baſilica ſepelitur: & tunc ceſſavit Epiſcopatus dies XI.

Hic Ludovicum Galliarum regem coronavit.

PAPA CII. *Anno Chriſti 822.*

PASCHALIS Papa primus ejus nominis, Bonoſi cujuſdam Civis Romani filius, hoc anno Stephano prædicto pontifici ſuccedens, ſedit annis VII. menſes III. & dies VII. Hunc

prædictus Stephanus pontifex cum viveret, propter ejus virtutes atque doctrinam monasterio beati Stephani Abbatem præfecerat. Inito igitur pontificatu confestim Clericis quibuscunque anathematis pœna mandavit: ne Ecclesiastica beneficia à quovis seculari obtinere præsumerent, ut habetur in Canon. XVI. q. IV. c. Si quis Clericus: postea multa sanctorum corpora minus religiose jacentia, in urbe cum magna veneratione introduxit, honestiusque recondidit. Et templum beatæ Praxedis à fundamentis extruxit. Multa quoque sanctorum corpora inibi & congregationem Græcorum collocavit. Ferunt etiam Beatæ Ceciliæ Ecclesiam ab eo conditam fuisse: ubi tanquam in honestiori loco ipsius Virginis ac Valeriani Tiburtiique corpora sociarentur. Multas etiam Basilicas vetustate collapsas restituit, ac multos captivos persolutis creditoribus liberavit. Tandem cum nullum religionis prætermisisset exemplum, septimo pontificatus sui anno moritur, & in beati Petri Basilica sepelitur.

Ne seculares beneficia Ecclesiastica obtinere præsumant.

Hic multos captivos liberavit.

Papa CIII. *Anno Christi 829.*

Eugenius Papa ejus nominis II. natione Romanus, patre Boemundo,

do, hoc anno Paſchali prædicto ſuffe-ctus, ſedit annis IV. Cujus tempore octavum Schiſma fuiſſe ferunt: videlicet inter hunc Eugenium, & quendam nomine Zinzinum, propter patrum diſcordias. Sed Eugenius hic propter ejus religionem, ſanctitatem, doctrinam, humanitatem atque eloquentiam, omnium conſenſu, tandem obtinuit: qui inito pontificatu, cum Roma fame ingenti laboraret, frumentum adeo abundanter in urbem introduxit, ut nullibi vilius quam ibidem annona venderetur: pauperum vero, pupillorum ac viduarum cauſas ita tutatus eſt, ut ab omnibus pauperum pater appellaretur. Tandem cum optimus hic pontifex, in actibus his perſeveraret, ab æmulis, ut quidam ajunt, oculis excæcatur, & martyrio coronatur: ejuſque corpus in Baſilica Petri cum omni devotione ſepelitur.

8. Schiſma.

Hic excæcatus fuit, & in ſanctorum martyrum numero poſitus eſt.

PAPA CIV. *Anno Chriſti 833.*

VALENTINUS Papa Romanus patria, Leontio patre natus, Eugenio pontifici ſuffectus, ſedit diebus XL. qui apud Paſchalem & Eugenium, prædictos pontifices ſanctiſſimos, à teneris annis enutritus, doctri-

nam & rationem bene vivendi usq; ad maturam ætatem didicit: adeo quippe virtuosus & sanctus evasit, ut cum tantum Diaconus haberetur, summum pontificatus gradum Valentinus ipse meruerit: creatus itaque omnium consensu pontifex, non secus quam in privata vita se habuit, sed in pietate, clementia & liberalitate ita, ut nulli majorum in pontificatu secundus sit habitus: verum existentibus fortasse hominum peccatis, qui tunc aderant, quadragesimo pontificatus sui die mortem obiit: & in beati Petri Basilica sepelitur.

Papa CV. *Anno Christi 833.*

Gregorius Papa quartus civis Romanus, patre Ioanne natus, Valentino pontifici succedens, sedit annis xvi. Vir nobilitate insignitus, sanctitate clarus, doctrinâ & eloquentiâ præcipuus, ac diligentiâ, sollicitudineque rebus in omnibus admiratione dignus: qui pontificatu suscepto, mox corpus beatissimi Gregorii transtulit, & ubi nunc jacet, magnis cum ornamentis collocavit: corpora etiam Sebastiani & Tiburtii ad Basilicam Petri transferri curavit: insuper

super & rogatu Ludovici Imperatoris omnium Sanctorum commemorationem III. Kal. Novembris instituit observandam, quam quidem celebritatem Galli & Germani primo observare cæperunt: post multa autem bona opera, denique hic sanctissimus Gregorius obiit, pontificatus sui anno XVI. & in Basilica beati Petri sepelitur; & tunc sedes vacavit dies XV.

Omnium Sanctorum festivitas.

PAPA CVI. *Anno Christi 849.*

SERGIUS Papa, ejus nominis II. natione Romanus, patre Sergio natus, post Gregorium pontificem sedem hoc anno accipiens, sedit annis II. & mens. III. Hic cum prius os porci vocaretur, ob deformitatem nominis mutare vocabulum coactus est, & se Sergium appellari fecit: & inde mutandorum nominum consuetudo sumpta est: ferunt hunc ex illustri familia natum, à suis majoribus non degenerasse: quippe quia nutritus fuerat à sanctis pontificibus Leone & Stephano quarto & Eugenio secundo, quorum doctrina & moribus plurimum claruit. Hic itaque pontificatu suscepto in ornandis templis animum adjecit: & inter cæteras Basilicas Sylvestri & Martini,

Consuetudo mutandi pontificum nomina.

tini, vetustate collapsas restituit: in easque multa Sanctorum corpora collocavit, & juxta Basilicam sancti Sylvestri monasterium à fundamentis in honorem Apostolorum Petri & Pauli construxit: ubi integre res agerentur divinæ. Res autem publica bene & optime ab ipso gubernata, ideo patriæ pater appellari meruit: ac sic moriens in beati Petri Basilica sepelitur: & post sedes vacavit menses II. & dies XV.

PAPA CVII. *Anno Christi 851.*

LEO IV. Papa, professione Monachus, patre Rodulfo Romano natus, hoc anno Sergio pontifici suffectus, sedit annis VIII. mens. III. & dies VI. Vir certe religione, innocentiâ, pietate, humanitate, omnique bonitate atque doctrinâ præclarus: cujus gesta præclara si cuncta conscriberentur, voluminis modum excedere viderentur. Fuit namque tantæ sanctitatis, ut orationibus suis Basiliscum serpentem, cujus venenato anhelitu multi perierant, è fornace sanctæ Lucinæ depulerit: crucisque signo maximum illud incendium extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum vagatum fuerat, & divi Petri Basilicæ ap-

Miraculũ grande.

appropinquabat: ob cujus rei memoriam mandavit assumptionis octavas, qua intercedente hoc miraculum impetraverat, perpetuo celebrandas: hic igitur Urbis mœnia & portas vetustate collapsas, restituit & turres XV. à fundamentis erexit. Quatuor coronatorum corpora suâ diligentiâ invenit: quibus sub altare collocatis eorum templum instauravit, & multa alia Sanctorum corpora ibidem addidit: dumque his sanctissimis vacaret operibus, Saraceni cum magna Classe contra Neapolitanos Romanosque venere, contra quos pontifex ipse quanta potuit manu eis statim auxilio fuit: verum ut sanctũ decebat pontificem, primo ante Dominum orationem fundens dixit: Deus cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit &c. orationeq; fusa signum Crucis contra hostes faciens pugnandi copiam suis dedit, qui post longum certamen hostes virili animo superarunt, atque cum ingenti cæde fugarunt: inde cum gaudio Romam reversus, statim Vaticanum mœnibus cinxit, & à se deinceps Vaticani locus, Leonina Civitas appellata est: consueverant enim hostes antea levi incursione Basilicam Petri in Vaticano spoliare, & propterea id pontifex effe-

Octavæ assumptionis institutio.

Invenit quatuor Coronatorum corpora.

Oratio, Deus cujus dextera beatum Petrum &c.

Leonina Civitas.

effecit atque ita urbem ipsam in quinq; annis absolvit. Postea fores Petri à Saracenis direptas, ex ipsorum Saracenorum manubiis restituit: tandem bonis omnibus repletus, ad Cœlestia regna gloriosus migravit, cujus corpus XVI. Kal. Augusti, collachrymantibus cunctis in beati Petri Basilica sepelitur, atque inter Sanctos relatus, eo die cujus natalitia celebratur: & tunc cessavit Episcopatus dies XV.

Hic inter Sanctos relatus est.

Papa CVIII. *Anno Christi 858.*

Ioannes Papa VIII. natione Anglicus, post Leonem pontificem factus pontifex sedit annis II. & mens. V. Hunc tradunt fuisse fœminam, quæ adolescens admodum ex Anglia Athenas cum quodam doctissimo amasio suo profecta, ibidem bonarum artium præceptores audiendo tantum profecit ut Romam veniens, paucos admodum etiam in sacris literis haberet pares: ea quippe legendo, disputando, docendo, orando tantam benevolentiam & gratiam sibi comparavit, ut mortuo Leone prædicto pontifice, in ejusdem locum, ut multi affirmant, omnium consensu pontifex crearetur: verum postea à familiari compressa gravidatur, & Papa existens peperit. Nam ex Vaticano ad

ad Lateranensem Basilicam aliquando ad letanias profecta inter Coliseum & sanctum Clementem præter spem, doloribus circumventâ sine obstetrice aliqua publice peperit: & eo loci, ab omnibus mortua, ibidem sine ullo honore cum fœtu misera sepulta est: ad cujus detestandam spurcitiem, & nominis continuandam memoriam, in hodiernum usque summi pontifices rogationum cum populo & Clero sacrum agentes cum locum partus medio ejus in itinere positum abominentur, eo omisso declinant ad diverticula, vicosque, & sic loco detestabili postergato reintrantes iter, proficiscuntur quod cæperunt: & ad evitandos similes errores statutum fuit, nequis de cætero in beati Petri collocaretur sede, priusquam perforatam sedem futuri pontificis genitalia ab ultimo Diacono Cardinale attrectarentur. *Mos creandorum pontificum.*

PAPA CIX. *Anno Christi 860.*

BENEDICTUS Papa III. natione Romanus, patre Petro oriundus postea suffectus illi mulieri, sedit annis II. & mens. V. & diebus IX. Qui ob vitæ sanctitatem merito Benedictus appellari debuit, ferunt quippe in ejus electione omnes patres sic unanimiter convenisse,

nisse, quod tanquam Sydus à Deo in terras missum videbatur. Ipse autem flendo Deum & Sanctos testes faciebat, se nequaquam dignum esse qui tantæ sedi præficeretur: sed omnibus acclamantibus, & ejus electionem omnino approbantibus, invitus pontificum munus suscepit, quod cum iniisset persæpe & jejuniis & orationibus vacabat, Deum rogans ut sancte & integre Ecclesiam gubernare posset, qui tantæ mansuetudinis tantæque animositatis vir fuit, ut tam in pontificatu quam in privatâ constitutus vita, carus omnibus acceptusque haberetur: nam quicquid in pontificatu verbis instituit, facto & opere in omnibus comprobavit. Opera enim misericordiæ cupidissime persolvens, funeribus Sacerdotum semper interesse voluit. Visitabat namque infirmos, alebat pauperes, desperatos & calamitosos consolabatur: nec non & viduas, pupillos, oppressosque acerrime tutabatur, & his artibus omnem vitam suam continue ducebat: multasque Ecclesias vetustate collapsas in urbe restituit, eisque multa dona obtulit: tandem vir sanctus moriens suum corpus ante fores Ecclesiæ beati Petri sepeliri mandavit: & tunc vacavit sedes dies xv.

PAPA CX. *Anno Chriſti 862.*

NICOLAUS Papa ejus nominis primus, patria Romanus, patre Theodoſio, poſt Benedictum pontificem ſedit annis IX. menſ. II. & diebus XX. Et poſt hunc, ut aliqui dicunt, ſedes vacavit annos VIII. menſ. VII. & diebus XX. Hic perfectiſſimus pontifex in omnibus fuit, & magno Gregorio in omnibus perſimilis, eo quod à teneris annis bene & ſancte educatus fuerit: qui & Benedicti prædeceſſoris ſui corpus propriis manibus tumulo commendavit: quem & poſt multas orationes, vigiliaſque ac jejunia patres pontificem licet abſentem creavere, quo audito Gregorii magni pontificis more, vitandi honoris cauſa in Vaticanum fugiens ibidem latuit: ſed inventum in atrium Lateranenſe perduxerunt, nolentemque etiam in ſolio collocaverunt Apoſtolico: deinde in Baſilica Petri conſecratus, ſumpta de more pontificali corona, multa cum Ludovico Cæſare, qui præſens aderat, locutus eſt, tum ad pontificatum, tum ad imperium pertinentia: Michaël quoque Conſtantinopolitanus Imperator, audita ejus fama, ut præmiſſum eſt, vi-

ſendi gratiâ Legatos cum muneribus Romam transmiſit: cum autem hic pontifex poſt multas perturbationes à moleſtiis liberatus fuiſſet, multa ad cultum divinum pertinentia, & quidem memoratu digna geſſit opera: & in primis cum multas Baſilicas reſtituiſſet, poſtmodum Ludovico præſente & approbante multa inſtituit. Et primo ne ullus ſecularis princeps aut rex præſumeret uſurpare ea quæ ſunt Sacerdotum, ut teſtatur Gratianus in Canon. x. diſt. c. Imperium veſtrum: Voluit ut pontificum prædeceſſorum ſuorum Decretales atque Epiſtolæ auctoritatis vim ubiq; obtinerent, ut xix. diſt. c. Romanorum pontificum. Conſtituit inſuper, nuptias non clandeſtine, ſed publice celebrari xxx. q. 1. c. Noſtrates: voluit denique ut in Cæna Domini Sacerdotes propter ſolennitatem inſtitutionis Sacramenti, Gloria in excelſis Deo in Miſſa canerent, de Conſ. diſt. 1. c. Gloria in excelſis Deo. Hic demum pontifex in omni virtutis genere illuſtratus: cum moreretur ex teſtamento mandavit ſuum corpus ad prædeceſſoris ſui exemplum ante fores Baſilicæ beati Petri ſepeliri.

Nullus ſecularis præſumat uſurpare bona Sacerdotum.

Gloria in excelſis Deo canere præcepit.

Pa-

PAPA CXI. *Anno Christi 871.*

ADRIANUS Papa, ejus nominis II. Thalato patre Romano genitus, hoc anno Nicolao pontifici suffectus, sedit annis v. & mens. IX. Vir quidem optimus, liberalisque ac in pauperes quam maxime munificus, cujus rei causa etiam nolens pontifex creatus est, quo audito Ludovicus Imperator confestim legatos Romam misit, & hujusmodi electionem approbans, Romanos plurimum laudavit: qui pontificatu suscepto, omnia quæ ad honorem Dei pertinebant circumspiciens, verbis & exemplo atq; auctoritate, tum suâ, tum majorum, unumquemque ad bene, beateque vivendum cohortatus est. Tandem cum sese omnibus Christi Ecclesiæ hostibus, quo id fieri poterat, objecisset, cum mortuo Ludovico Imperatore, Carolum filium inuncturus esset, moritur: & in Basilica Petri sepelitur: & tunc cessavit Papatus dies XII.

PAPA CXII. *Anno Christi 877.*

IOANNES Papa IX. natione Romanus, patre Gundo natus, hoc anno Adriano pontifici surrogatus, sedit annis

annis x. Hic cum in initio sui pontificatus, Carolum secundum, qui tunc Romam pro Corona venerat, inungere decrevisset, à Romanis capitur, & in vincula conjicitur: sed quibusdam amicis suis adjuvantibus, fugâ prolapsus, ad Ludovicum Balbum regem in Franciam se contulit, & ibidem per annum mansit. Inuncto ibi Ludovico rege, à Carolo III. Romam vocatus, rediit: Eundemque etiam inunctum Imperatorio Diademate ornavit. In Gallias autem apud Trecas Vrbem, Concilium celebrans, multa ad fidem pertinentia, Gratiano referente, constituit, & inter cætera statuit, Si quis Sacerdos aut Laicus homicidium faceret, perpetuo irregularis haberetur, & ad sacros ordines nullatenus admitteretur, nec de cætero Missam celebrare præsumeret, ut habetur in Canon. dist. 1. c. Miror. Statuit item, si quis sacrum de non sacro; aut non sacrum de sacro abstulisset, sacrilegii pœna mulctaretur. XVII. q. IV. c. Si quis. Et cum eruditissimus pontifex haberetur cum adhuc Diaconus existeret, Magni Gregorii vitam quatuor libris exaravit. Tandem vitâ functus in Beati Petri Basilica sepelitur.

Pontifex capitur.

Homicidæ ad sacros ordines non admittantur.

Sacrilegi puniantur.

PA-

PAPA CXIII. *Anno Christi 887.*

MARTINUS Papa II. natione Gallus, patre Palumbo, hoc anno Joanni pontifici suffectus, sedit anno uno, & mens. v. Vir quidem superbus, atque ambitiosus, qui cum malis artibus pontificatum obtinuisset, breviter mortuo quidem in eo permansit, & ideo nil memoriâ dignum gessit.

PAPA CXIV. *Anno Christi 888.*

ADRIANUS Papa III. patria Romanus, Benedicto patre natus, Martino prædicto pontifici succedens, sedit anno uno, & mens. III. Hic vir magnanimus fuit: & ideo in initio pontificatus sui statuit, ne Imperatores de cætero in pontifice creando aliquo modo se intromitterent, neve eorum auctoritas expectaretur, sed decrevit libera esse Cleri suffragia: ut Gratianus refert in Decretis LXII. dist. Per totum. Vnde propter ejus animi magnitudinem Clerus populusque Romanus, magnam de eo concepit spem: Verum exigentibus fortassis hominum meritis, qui nunc aderant, repentino tempore sublatus est:

& in

& ingemiſcentibus cunctis in Beati Petri Baſilica ſepelitur.

Papa CXV. *Anno Christi 890.*

STephanus Papa, hujus nominis V. patria Romanus, patre Adriano, poſt prædictum Adrianum pontificem, ſedit annos VI. & diebus IX. Hic quoad vixit in multa perturbatione Normannorum, Hunnorumque, ac Italicorum ſemper fuit. Sed multorum virorum illuſtrium, & quam maxime ſanctitate videlicet Luprandi Papienſis Eccleſiæ Diaconi Vuldridi Bavari, & Berardi Pictavienſis Epiſcopi, mirifice recreatus fuit, eo quod eorum vita & mores multum Chriſtianam fidem adjuverint: & multa monaſteria maximis ſumptibus in utraque Gallia conſtruxerint. Obiit denique hic pontifex ſanctus, ſexto pontificatus ſui anno: ſepultuſque cum patribus ſuis in Baſilica beati Petri.

Papa CXVI. *Anno Christi 896.*

FOrmosus Papa, hoc anno poſt Stephanum pontificem electus, ſedit annis V. & menſ. VI. Hic cum Portuenſis eſſet Epiſcopus, Joannis IX. pontificis

tificis ſævitiam veritus, Epiſcopatum deſeruit, & in Galliam fugit: ſed cum revocatus redire nollet, anathemate notatus, Eccleſiaſtica etiam dignitate privatur. hoc ideo fertur ei accidiſſe, quod ejus conjurationis conſcius & auctor fuerit, qua Ioannes ipſe pontifex in vincula conjectus fuerat. Hac igitur contumelia permotus Formoſus ab urbe diſceſſit, & jurejurando affirmavit ſe nunquam Romam vel ad Epiſcopatum amplius rediturum. Sed Martinus Ioannis ſucceſſor, ipſum poſtea juramento ſolutum in patriam & in ſuam reſtituit dignitatem: unde & ad pontificatum non multo poſt, largitione potius quam virtute, quibuſdam contradicentibus, aſſumitur. Hunc nihil aliud memoriæ dignum egiſſe conſtat, niſi quod beati Petri Baſilicam levi pictura exornavit.

Pontifex contumelia affectus.

PAPA CXVII. *Anno Chriſti 901.*

BONIFACIVS Papa VI. natione Tuſcus, hoc anno Formoſo pontifici ſuccedens, ſedit diebus XV. Cujus res geſtæ propter temporis brevitatem nullæ habentur, legitime tamen & recte creatus fuit pontifex: moriens vero in beati Petri Baſilica ſepelitur.

Papa CXVIII. *Anno Christi 901.*

STEPHANVS Papa, ejus nominis VI, patria Romanus, Agnaninus Episcopus à Formoso Papa dudum creatus, post Bonifacium pontificem, sedit anno uno, mens. III. Qui creatus pontifex, tanto odio Formosi nomen persecutus est, ut statim ejus decreta omnino abrogaverit, & non modo actibus contrariatus, verum etiam multa cum rabie Consilio habito Formosi ipsius corpus è tumulo extrahi fecerit, tractumque pontificalibus exui vestimentis, ac seculari indui habitu: & postea abscissis duobus dexteræ ejus digitis in Tyberim projici: deinde reliquum corpus in Laicorum sepultura sepeliri mandavit. *Horrendũ scandalum.* Magnum namque & inauditum fuit hoc scandalum. Tandem vero pœnitentiâ ductus, ut quidam ajunt, relicto pontificatu monasterium ingressus, maximam pœnitentiam egit. *Papatum dimisit.*

Papa CXIX. *Anno Christi 902.*

ROMANVS Papa primus, Stephano surrogatus, & ipse sedit menses III. dies XXI. Qui non ambitione,

tione, aut largitionibus, ut multi sui temporis, pontificum munus obtinuit, sed de more Petri eum adeptus est. Veruntamen & ipse scandala scandalis addidit, quia pontificatu inito Stephani pontificis acta decretaque improbavit, atq; destruxit. Horum nempe pontificum intentio atque virtus tota in alterius nominis ac dignitatis extinctione erat.

PAPA CXX. *Anno Christi 902.*

THEODORUS Papa II. natione Romanus, post Romanum pontificem sedit diebus xx. De isto etiam, propter temporis brevitatem, nulla habetur memoria, nisi quod creatus pontifex, & ipse in viis seditiosorum pontificum ambulavit, qui nulla virtute præditus, postposito Dei timore atque honore, Formosi acta restituit, ejusque sectatores multo in pretio habuit.

PAPA CXXI. *Anno Christi 902.*

IOANNES Papa X. natione Romanus, post Theodorum pontificem sedit annis II. Qui etiam ipse suscepto pontificatu, Formosi pontificis causam in integrum restituit: Contradicente

tamen magna populi Romani parte. Quamobrem magna in eo orta est seditio, qui timore perterritus Ravennam profugit, atq; ibi LXXIV Episcoporum concilio habito, & Stephani res gestas improbat, & Formosi acta restituit, asserens à Stephano male judicatum fuisse. Hic autem propter scandala, nihil aliud memoriâ dignum gessit, nisi quod seditiones prope extinctas, renovavit & suscitavit.

Pontifex fugit, & Ravennæ Concilium habuit.

Papa CXXII. *Anno Christi 904.*

Benedictus Papa IV. natione Romanus, post Ioannem pontif. suffectus, sedit annis III. Vir certe clementia & humanitate præclarus. Qui maxima cum laude, tum maxime in tantis corruptis à pontificũ moribus, vitã constanter & sine infamiæ nota perduxit. Veruntamen nec quippiam ab ipso factitatum compertũ habemus, quod magnopere laudari possit: Acciderat enim illi ætati quod omnis virtus, tam in capite, quam in membris, ex hominum ignavia consumpta fuerat.

Papa CXXIII. *Anno Christi 907.*

Leo Papa V. cujus patria ignoratur, post Benedictum pontificem se-

sedit tantummodo diebus XL. Quo quidem die ab ejus Presbytero Christophoro familiari dominandi cupiditate allecto, cum maxima seditione capitur, & in vincula conjicitur: qui videns se honore spoliatum, & maxime à familiari, cui multa contulerat beneficia, dolore animi, paulo post obiit.

Pontifex à familiari capitur.

PAPA CXXIV. *Anno Christi 907.*

CHRISTOPHORUS Papa, dejecto Leone, Papatum invadens, sedit mens. 7. Qui & ipse sicut pontificatum malis artibus adeptus est, ita & male amisit, & mensuram quam Leoni Domino suo mensus fuerat, & ipse recepit, quia septimo mense pontificatu dejectus, monasticam vitam obire cogitur; Sergius autem ejus successor, postmodum cognitâ hominis iniquitate, illum è monasterio traxit, & in custodia publica in vincula conjecit, nec multo post ad majorem sui pœnam in arctiori custodia eum revinxit, ubi & tandem miserabiliter defecit.

Hic in monasterio includitur.

Post in arctiorem custodiam conjicitur.

PAPA CXXV. *Anno Christi 907.*

SERGIUS Papa, ejus nominis III. natione Romanus, patre Benedicto, post Christophorum prædictum sedit

annis VII. & menſ. III. & diebus XV. Hic itaque Diaconus exiſtens, Formoſi factionem, ne pontificatum conſequeretur, plurimum proſecutus fuit. Eapropter à Formoſo ipſo reprobatus eſt, ſed ipſe ſuſcepto pontificatu in Galliam fugit: ibiq; Lotharii regis gratiam & benevolentiam obtinens, ejus auxilio in Italiam rediit, & Chriſtophorum monachum Papatus invaſorem capiens, in vinculis revinxit: Formoſi quoque acta iterum improbavit, atque in ultionem ſuæ injuriæ ejus cadaver è ſepulchro tractum, ac ſi viveret capitali affecit ſupplicio: Corpus vero in Tyberim truncum projici juſſit, tanquam ſepultura indignum: omnes præterea per Formoſum ordinatos denuo admitti & ordinari mandavit. Ferunt tamẽ ipſum corpus poſt Sergii mortem à piſcatoribus inventum, & in Baſilicam delatum: dumque funus celebraretur, Sanctorum imagines ibidem poſitæ, cunctis cernentibus, ejuſdem corpus adoraſſe: ob quam rem creditur Formoſum tali injuria indignum fuiſſe. Sergius itaque Lateranenſem Baſilicam nuperrime vetuſtate collapſam reſtituit.

10. Schiſma.

Scandala ſcandalis addita vide.

Magnũ miraculum.

PA-

PAPA CXXVI. *Anno Christi 914.*

ANASTASIUS Papa III. natione Romanus, hoc anno Sergio pontifici surrogatus, sedit annos II. & menses II. Hic quippe cum esset vir bonus, modeste & integre in pontificatu vixit: A quo haud quicquam habetur quod merito reprehendi queat. Et certe hac in re plurimum laudandus est, quod præter sui temporis pontificum morem, neminem eorum qui ante se in pontificatu fuerunt, ullâ maledicentiâ prosecutus est. Eaque in innocentia moriens, in beati Petri Basilica sepelitur.

PAPA CXXVII. *Anno Christi 916.*

LANDO Papa, natione Romanus, post Anastasium pontificem sedit menses VI. Cujus vita admodum fuit obscura. Ideo nil de eo memoria dignum habemus. Moriens autem in beati Petri Basilica sepelitur.

PAPA CXXVIII. *Anno Christi 917.*

IOANNES Papa, ejus nominis XI. Sergii Papæ filius, post Landonem

pontificem sedit annis XIII. mens. II. & diebus III. Hic primo cum violenter Episcopatum Ravennatum occupasset, populi tumultu pulsus, Romam venit & Papatum intuitu patris obtinuit. Quem cum adeptus fuisset, confestim contra Saracenos Italiam multis in locis occupantes, una cum Albrico Ethruriæ Marchione in auxilium vocatum conflixit, & superatos ab Italia depulit. Quo facto ipse pontifex in triumphi modum Romam rediit. Sed cum ex hujusmodi triumpho victoriam sibi soli vendicaret, Albrici odium in se plurimum concitavit. Qua ex re magna quoque inter ipsum pontificem & Marchionem orta est dissensio, ita ut pontifex Marchionem è Roma expelleret. Indignatus etiam Marchio, Ortham oppidum concessit, ibique constitutus Vngaros in Italiam invitavit. Qui Provinciam ingressi plus fere calamitatis Italiæ intulere quam antea Saraceni. Et licet Albricus ipse cum Vngaris pepigisset, ut Tuscos intactos permitteret, minime tamen fœdus servarunt; imo in ipsos magis sævire, pueros ac virgines fœminas abducentes, & natu grandiores interficientes. Hac igitur prædæ dulcedine illecti Vngari frequenter postea Ita-

Albricus Ethruriæ Marchio.

Italiam repetebant, nec ab eorum excursionibus, Lombardia tota immunis fuit, quibus complurimæ Vrbes in solitudinem sunt redactæ. Eo siquidem tumultu mœnia urbis Bergomi & ædes pæne omnes sunt eversæ. Mantua etiam ferme tota fuit destructa. Vnde & ad perpetuam cladis memoriam etiam locus ubi hactenus civitas erat, Vngaria nuncupatur. Hac itaque injuria permoti Romani cum ferocem hostem superare non possent, Albricum Marchionem apud Ortham oppidum capiunt, & de eo supplicium suscipiunt. Ioannem vero à militibus Guidonis captum in vincula conjectum enecarunt. In cujus locum alter Ioannes surrogatur. Verum quod Petri sedem vi occupasse dicitur; è sede statim dejectus inter pontifices connumerari non meruit.

Vide maximũ scandalum & malum.

Bergomum destruitur.

Mantua similiter.

Iste pontifex interfectus est.

PAPA CXXIX. *Anno Christi 930.*

LEO Papa VI. natione Romanus, hoc anno post Iohannem pontificem, legitimis suffragiis pontifex creatus, sedit mens. vi. & dieb. xv. Vir utiq; bonus, qui nil tyrannicum in vita præse tulit; imo revocare ad concordiam

cives, temeritate ac ſtultitiâ priorum pontificum adhuc tumultuantes, componereque res Italicas, pacare heſternum hoſtem, propulſare Barbaros ab Italiæ cervicibus conatus eſt. Sed dum in his laudabilibus operibus verſaretur, ſexto pontificatus ſui menſe moritur, & in beati Petri Baſilica ſepelitur.

Papa CXXX. *Anno Chriſti 930.*

Stephanus Papa, ejus nominis VII. natione Romanus, poſt Leonem ſedit annis II. menſe uno, & diebus XII. Cujus quidem vitam manſuetudinis ac religionis plena fuit, moriens autem in beati Petri Baſilica ſepelitur.

Papa CXXXI. *Anno Chriſti 933.*

Ioannes Papa XII. natione Romanus, hoc anno Stephano pontifici ſurrogatus, ſedit annis IV. menſ. X. & diebus XV. & poſt ceſſavit ſedes dies XII. De iſto nihil memoriâ dignũ habetur.

Papa CXXXII. *Anno Chriſti 937.*

Leo VII. Papa, natione Romanus, hoc anno Ioanni pontifici ſuc-

ſuccedens, ſedit annis III. menſ. VI. & diebus X. Qui aſſumpto pontificatu cum eſſet remiſſus vir, nil memoriâ dignum poſt ſe reliquit: mortuus vero in beati Petri Baſilica ſepelitur.

PAPA CXXXIII. *Anno Chriſti 941.*

STEPHANUS Papa VIII. natione Germanus, poſt Leonem pontificem prædictum, ſedit annis III. menſ. IV. diebus XV. Hic cum pontificatum ſuſcepiſſet, ita Romanorum ſeditionibus vexatus eſt: ut nil memoriâ dignum ab eo geri potuerit, quia tam ab eis turpiter mutilatus, tamque ignominioſe truncatus fuit: ut quoad vixit in publicum prodire non fuerit auſus. Eo autem mortuo ceſſavit Epiſcopatus dies X. *Iſte mutilatus fuit.*

PAPA CXXXIV. *Anno Chriſti 944.*

MARTINUS Papa III. patria Romanus, poſt Stephanum pontificem ſedit annis III. menſ. VI. & diebus XIV. Vir quidem manſuetiſſimus atque placabilis, qui omiſſis bellorum contentionibus totum ſe religioni dedit, templa reſtaurans, pauperesque mirâ pietate fovens, & tandem

moriens in beati Petri Ecclesia sepelitur.

Papa CXXXV. *Anno Christi 948.*

Agapitus Papa, ejus nominis II. natione Romanus, post Martinum pontificem sedit annis IX. mensibus VII. & diebus X. Homo sane magnanimus, qui Othonem Germaniæ regem contra Berengarium Imperatorem, ut dictum est, in Italiam vocavit. Cujus operâ inter hunc pontificem & ipsum Berengarium lites compositæ sunt: fuerat hic vir valde innocens, & reipublicæ Christianæ amator præcipuus; qui, cum mortem obiisset, in beati Petri Basilica sepelitur.

Papa CXXXVI. *Anno Christi 958.*

Ioannes Papa XIII. natione Lombardus, Alberti, ut ajunt, Italiæ regis filius, hoc anno Agapito pontifici suffectus, sedit annis IV. mens. X. & diebus V. Hic primo Octavianus dicebatur, homo siquidem ab ipsa sua adolescentia opprobriis & sceleribus omnibus contaminatus, ac magis venationibus & voluptatibus, quam orationi

tioni & lectioni deditus. Cujus quidem indignitate permoti Cardinales litteris Othonem Germaniæ regem obsecrant, ut Clerum, populumque Romanum è Ioannis istius manibus liberare dignetur: aliter de Christiana fide actum esse. Et dum Otho expectaretur, re per judices patefacta, Ioannes hic irâ percitus, duos Cardinales cepit, & huic nasum, illi vero manum abscidit. Otho itaque in Italiam ingressus Romam cum magno comitatu accessit: & à Ioanne honorificentissime suscipitur, atque ab eo, ut quidam tradunt, coronatur. Indeque aliquantulum civitatis statu composito, convocatisque Italicis Episcopis Concilium indixit: In quo quidem Concilio hominis vita pessima adjudicata est. Sed dum in turpitudinibus Ioannes hic pertinax haberetur, è Roma tandem fugit, & in montibus quibusdam dilatuit. Nec propterea perniciosissimus hic vir, à malis suis pedem avertere voluit, sed in proposito malo sic perseverans, tandem in adulterio deprehensus, à viro adulteræ confossus interiit.

Hic fuit captus in adulterio.

Papa CXXXVII. *Anno Christi 962.*

Benedictvs Papa, ejus nominis V. natione Romanus, hoc anno ex seditione ab his qui Ioanni cognatione ac factione conjuncti fuerunt, pontifex creatus, sedit mens. 11. & diebus v. Sed Otho ejus electionem nequaquam approbans, imo Romanos id maxime fieri simpliciter expostulantes à se repulit, & ferro flammaque omnia vastando, quæ circa Vrbem erant compulit, dejecto Benedicto Leonem suscipere, adegitque Sacramento, nil earum rerum immutaturos, quas ipse Imperator jure pontificio constituisset. Compositis itaque hoc modo rebus, Otho in Germaniam rediit, Benedictumque istum secum ducens, qui non ita multo post dolore animi, apud Haisburgam Civitatem, ubi relegatus fuerat, moritur.

Pontifex in exilium relegatur.

Papa CXXXVIII. *Anno Christi 962.*

Leo Papa ejus nominis VIII. à Clerò, populoque Romano pontifex creatus, sedit anno uno, mens. iv.

Hunc

Hunc ut dictum est, in locum Ioannis electum Romani abrogantes Benedictum suffecerunt: qua ex re Otho iratus compulit eos Leonem suscipere, qui statim pontificatu inito ad reprimendam Romanam malitiam, qui suos passim intrudebant, Othonemque ipsum coronavit, & universalem Augustum declaravit: omnemque eligendi pontificis auctoritatem à Clero, populoque Romano abstulit, & Gratiano referente, in ipsum Othonem transtulit; ut habemus in Canon. LXIII. dist. c. In Synodo. & nõ modo imperiales titulos, verum etiam omnes donationes per Iustinianum, Carolumq; Imperatores Ecclesiæ Romanæ factas Leo hic Othoni & ejus successoribus concessit, ut scilicet Italiam ab invasoribus defensarent, sicut habetur in Decretis eâdem distinctione per totum: quo autem genere mortis hic obierit non habetur.

11. Schisma.

Hic pontifex multa Imperatoribus concessit.

PAPA CXXXIX. *Anno Christi 963.*

IOANNES Papa, ejus nominis XIII. natione Italus, ex Narnia civitate hoc anno Leoni pontifici suffectus, sedit annis VI. mens. XI. & diebus X. Hunc Romani plurimũ persecuti sunt, de-

dederuntq; operam, ut Campaniæ Comes eum in Lateranensi Ecclesia caperet, sed cum idem Campaniæ Comes, nomine Lofredus cum filio, à Ioanne Capuanorum principe trucidatus fuisset, Ioannes hic post undecimum suæ calamitatis mensem liberatus, Romam rediit. Eam ob rem indignatus Otho Imperator cum filio suo statim paratissimum ex Germania Romam misit exercitum, ubi & Consules Romanos atque Vrbis præfectum cum XII decurionibus cepit & in carceres conjecit, quod omnis capturæ & ignominiæ pontificis causa fuerunt; & Consules in Germaniã deportari mandavit: Decuriones vero laqueo suspendi, ac præsertim quendam, nomine Petrum, malorũ omnium auctorem, cum ignominia per publica Vrbis loca tractum, & virgis cæsum in Germaniam misit. Deniq; isto mortuo sedes vacavit dies tantum XIII.

Papa CXL. *Anno Christi 969.*

Benedictus Papa, ejus nominis VI. natione Romanus, Ioanni in pontificatu & calamitatibus hoc anno succedens, sedit anno uno, & mens. VI. Qui & ipse à Cyricio cive Romano captus & in Castellum sancti Angeli intrusus, vitam miserabilem finire compulsus est.

Pontifex capitur.

Pa-

PAPA CXLI. *Anno Christi 971.*

DONUS Papa II. ejus nominis, patria Romanus, hoc anno Benedicto pontifici suffectus, sedit anno uno, & mens. VI. Hic multæ modestiæ & integritatis vir fuit, & præterea nulla injuriâ affectus neque ignominiâ notatus fuit: qui tandem moriens in beati Petri Basilica sepultus est.

PAPA CXLII. *Anno Christi 972.*

BONIFACIUS Papa, ejus nominis VII. cujus patria & cognomentum ob ignobilitatem reticetur, post Donum pontificem prædictum sedit menses VI. & diebus XII. Hic cum malis artibus hoc pontificatus munus adeptus fuisset, male vixit & pessime vitam finivit, quia boni cives in eum conspiraverunt: ob quam rem urbem relinquere coactus fuit. Indeque recedens ablatis divi Petri thesauris cum illis Constantinopolim aufugit: ubi venditis omnibus videlicet quæ sacrilegio abstulerat, Romam iterum rediit, ubi dum nihil proficeret, adjuvantibus quibusdam perniciosis viris, Joannem Cardinalē magnæ auctoritatis

Hic ablatis Ecclesiæ thesauris Constantinopolim se contulit.

tatis virum cepit, oculisque privavit, quo facto & ipso non multo post tantorum malorum timore perterritus vitam turpiter finivit.

Papa CXLIII. *Anno Christi 973.*

Benedictus Papa ejus nominis VII. natione Romanus, post Bonifacium prædictum factus pontifex sedit annis VIII. & mens. V. Hic annuente Othone sene filium ejus Othonem cum Theophina uxore in Lateranensi Ecclesia coronavit, indeque multos seditiosos cives in urbe cepit, & carcerali pœna damnavit. Synodum etiam Remensem contra Francorum regem celebravit, ubi Gilbertum seditiosum virum & necromantem damnans, Arnulphum Episcopum ab ipso Gilberto pulsum in integrum restituit.

Synodum celebravit.

Papa CXLIV. *Anno Christi 981.*

Ioannes Papa ejus nominis XV. natione Papiensis, Benedicto pontifici hoc anno surrogatus, sedit mens. VIII. Hic post assumptum pontificatum, mense tertio à Romanis capitur, & in Castello sancti Angeli diligenti custodiæ mancipatur.

Pontifex à Romanis capitur.

cipatur.

cipatur. Ubi tamdiu pædore carceris & inediâ maceratus fuit, donec miseram vitam cum morte mutaret: quo mortuo, & in Basilica Petri, sepulto cessavit Papatus dies x.

Papa CXLV. *Anno Christi 982.*

Ioannes Papa ejus nominis XVI. patriâ Romanus, Leone Presbytero patre natus, & ipse post mortem prædicti Ioannis sedit menses IV. Hic pontificatu suscepto, miro odio in Clerum exardescere cepit. Unde & ipse merito non modo ab ipso Clero, sed & ab omnibus populis odiosus habitus est: maxime autem quod divina humanaque omnia cognatis & affinibus elargiebatur, postposito Dei timore & honore, ac Romanæ sedis dignitate, quem certe errorem ad nostra usque tempora pervenisse, cernimus: his deniq̄ue erroribus ac rapacitatibus involutus, Deo sic volente, & non sustinente, quarto sui pontificatus mense moritur, & in Basilica Petri sepelitur.

Papa CXLVI. *Anno Christi 982.*

Ioannes Papa ejus nominis XVII. natione Romanus, post Ioannem prædictum

dictum suffectus, sedit annis x. menses vi. & diebus x. Vir certe tanto magistratu dignissimus, utpote imprimis in re militari exercitatissimus, & insigni doctrina clarissimus, quique & nonnulla edidit librorum volumina: attamen à Crescentio, Urbis Romanæ Consule sibi imperium vendicare conantem, & seditionibus & aliis perturbationibus agitatus, in Ethruriam, ut ejus cupiditati cederet, exulatum abiit: sed Crescentius, cognita pontificis indignatione, qua iratus Othonem Cæsarem, contra se cum exercitu in Italiam vocavit, ipsius pontificis cognatos atque amicos, qui in urbe remanserant, ad pontificem rogatum mittit, ut omissa accersendi Othonis curâ ad urbem cum potestate redeat: precibus suorum itaque permotus Ioannes ad urbem, procedente obviam Crescentio cum universo populo venit: & pontifice introducto Crescentius cum universis seditiosis pontificis pedibus provoluti veniam petiere, atque ita isti ad concordiam redacti vitam simul quiete usque in finem perduxere.

Pa-

PAPA CXLVII. *Anno Christi 992.*

GREGORIVS Papa, ejus nominis V. natione Saxonus, patre Othone, Bruno antea vocatus, post Ioannem decimum septimum pontifex creatus, sedit annis 11. & mensibus v. Hic prædicti Othonis Cæsaris consanguineus erat: & propterea eo volente, & mandante assumptus fuit: qui pontificatu inito, & Othone adhuc in Germania existente, Romanorum & potissimum Crescentii Consulis agitatus fastidiis in Ethruriam primo, deinde in Germaniam ad ipsum confugit. Quo absente idem Crescentius Ioannem Placentinum Episcopum, virum subdolum & pecuniosum pontificem creat: Eoque creato Crescentius Consul cognoscens Imperatoris adventum, urbis mœnia & portas, quam diligentissime obfirmare fecit, ac Adriani molem munivit. Propter quod deinceps ea moles, non Adriani, sed Crescentii arx appellata est: superveniente tamen postea Imperatore cum exercitu magno, Crescentium ipsum, ut diximus, cum Ioanne adulterino Papa cepit; & trucidato primo Crescentio, etiam Ioannem & vitâ & pontificatu tandem privavit,

Pontifex privatur vitâ & pontificatu.

vit, Gregoriumq; consanguineum suum pulsum restituit: unde & Gregorius ipse, ut Imperii dignitas apud Germanos suos perpetuo remaneret, Synodo congregata, sanctionem tulit de Imperatore eligendo, quæ usque in hodiernum diem observatur: eodemque mortuo vacavit sedes dies xv.

Papa CXLVIII. *Anno Christi 994.*

Ioannes itaque Papa hujus nominis XVIII. adulterinus, Gregorio prædicto adhuc vivente, cum esset

12. *Schisma.* Placentinus Episcopus, Crescentio Consule Romano operante, per factionem pontificatum occupans, sedit menses x. & in ejus morte, quem Gregorius restituerat, vacavit sedes dies xx. Hic ut dictum est, potentia Crescentii Romani consulis fretus, quem grandi pecunia Constantinopoli secum allata corruperat, pontificatum muneribus obtinuit: sed quia ut fur & latro non per ostium in ovile intraverat, ideo post x. mensem, postquam pontificatum ipsum sibi usurpaverat, tanquam proditor & latro ignominiose interiit.

Qui non intrat per ostiũ in ovile ovium, fur est & latro.

PAPA CXLIX. *Anno Christi 995.*

SYLVESTER Papa, ejus nominis II. natione Gallicus, Gibertus antea vocatus, hoc anno Gregorio pontifici ſurrogatus, ſedit annis IV. menſe uno, & diebus octo. Hic malis artibus pontificatum obtinuit, eo quod ab adoleſcentia, cum Monachus eſſet, relicto Monaſterio, ſe totum Diabolo obtulit, modo quod optabat obtineret: & ut bonarum artium operam daret, primo ad hiſpalim Hiſpaniæ urbem acceſſit. Vbi cum doctrinæ admodum cupidus eſſet, ea in re tantum profecit, ut brevi optimus Doctor evaſerit, & Othonem Auguſtum, atque Robertum regem, & nonnullos alios inſignes, præclaroſque viros habuerit diſcipulos: quorum operâ primo Remenſis, deinde Ravennatis Archiepiſcopus fuerat factus, poſtremo Romanus pontifex, Diabolo adjuvante, fuerit conſtitutus, hac tamen lege, ut poſt ejus obitum totus illius in anima & corpore eſſet, cujus fraudibus tantam adeptus eſſet dignitatem. Poſt hoc quæſivit Gibertus à Diabolo, quamdiu in pontificatu victurus eſſet: Reſpondit, quamdiu inquit in Hieruſalem non cele-

Hic fuit Monachus & ſe totum Diabolo obtulit.

Fit Diabolo adjuvante pontifex Romanus.

anno, dum quadragesimali tempore in Basilica sanctæ Crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato se moriturum statim cognovit: unde pœnitentia ductus errorem suum coram populo confessus est, rogavitque omnes ut corpus suum, Diabolicis artibus seductum membratim detruncarent, dissectumque ac laceratum super currum imponerent, & eo loci sepelirent, quo sponte ab equis foret vectum: ferunt itaque Dei nutu, ut scelerati discant apud Deum veniæ locum sibi relictum esse, modo in vita pœnituerint, equos ipsos sponte ad Lateranensem Ecclesiam pervenisse, ibidemque sepultum fuisse.

Papa CL. *Anno Christi 999.*

Ioannes Papa, ejus nominis XIX. cujus cognomen & patria ignoratur, post Sylvestrum pontificem sedit mens. v. De quo propter pontificatus brevitatem, nil gestum habetur, nisi quod, ut ajunt, commemorationem omnium defunctorum, post festum omnium Sanctorum, ab Odole supradicto Cluniacensi Abbate in Burgundia jamdiu institutum, ab universa Ecclesia observandam mox approbavit.

Commemorationis omnium Sanctorum institutio.

Pa-

PAPA CLI. *Anno Christi* 1000.

IOANNES Papa hujus nominis XX patriâ Romanus, prædicto Pontifici suffectus, sedit annis IV. & menſ. IV. qui pontificatu inito ad otium cõverſus: & ipſe nil memoriâ dignum geſſit; ſepultus autem fuit in Baſilica beati Petri: & poſt ceſſavit ſedes dies XIX.

PAPA CLII. *Anno Christi* 1004.

SERGIUS Papa ejus nominis IV. poſt Ioannem prædictum Pontificem Pontifex ſuffectus, ſedit annis II. & menſ. VI. Hic natione Romanus, patre Martino ortus fuit; vir ſanctiſſimæ vitæ, gratæque converſationis: cujus tanta fuit, prudentia, ut toto ſuo pontificatu nil commiſſum ſit, quod merito reprehendi poſſit. In Deum enim omnem mentem convertens, quod certè facere deberent omnes Pontifices, omnia benè & integrè gubernabat; cujus quidem conſilio, omnes Italiæ principes, fœdere compoſito è Sicilia Saracenos expellere conſtituerunt: unde & Gulielmus magni Tancredi Normandorum ducis filius, adjuvantibus Campano & Salernitano principibus, è Sicilia

ipsa Insula, brevi temporis spatio omnes expulit: his gestis cum Italia & totius ferè terrarum orbis fame & peste laboraret, hic vir sanctissimus vitâ excessit: & in beati Petri templo sepultus est: ex cujus morte sedes vacavit dies octo.

Hujus tempore pestis generaliter fuit ubique.

Papa CLIII. *Anno Christi 106.*

Benedictus Papa VIII. ejus nominis, Sergio Pontifici hoc anno surrogatus, sedit annis XI. & mens. XI. hic natione Tusculanus, patre Gregorio ortus fuit, qui omnibus in rebus Henrici Cæsaris defensione utebatur: sed eo defuncto è sede pulsus est. Verum postea initâ cum inimicis concordiâ, pulsoque adulterino Pontifice, in urbem cum dignitate regressus est: nec multo post moritur, & in Basilica Petri sepelitur.

Hic pulsus fuit à sede Pontificali.

Papa CLIV. *Anno Christi 1018.*

Ioannes Papa, ejus nominis secundus, Benedicto Pontifici hoc anno suffectus sedit annis IX. & diebus IX. hic patriâ Romanus, patre Gregorio Portuensi Episcopo natus, nullis initiatus Sacramentis Pontificum munus suscepit: quem posteà Romani sedi-

ſeditionibus &apertis prælìis plurimum vexavere : ſed tandem Conradi Cæſaris potentiâ & auctoritate liberatus fuit : cujus quidem vita mirificè ab omnibus laudata fuit : eoque mortuo ſedes vacavit dies VIII.

PAPA CLV. *Anno Chriſti* 1027.

BENEDICTUS Papa, ejus nominis IX. natione Tuſculanus, patre Albrico, Benedicti VIII. nepos. hoc anno Ioanni Pontifici ſuffectus : ſedit annis X. menſ. IV. & diebus IX. Hunc Romani tanquã ignavum & nullius pretii virum dejecerunt, ejuſque loco Ioannẽ Sabinum Epiſcopum conſtituerunt, & Sylveſtrem tertium appellaverunt. Quo poſt XLIX. dies pulſo, Benedictus hic denuo reſtituitur: Is autem poſt menſem & dies XXI, cum cerneret ſe iterum eadem diſcrimina ſubiturum Ioanni Archidiacono ſancti Ioannis ad portam latinam, qui poſtea Gregorius VI. appellatus eſt, Pontificum munus vel vendidit, vel promiſit: hanc ob rẽ Benedictus meritò ab omnibus accuſatus, & divino judicio pariter damnatus. Nam poſt mortem ejus cuidam ſancto Heremitæ ipſe Benedictus monſtruoſus valdè apparuit; à quo in- 13. *Schiſma.*

rogatus, cur tam horrendus & deformis videretur: Quia in præsenti, inquit, sine lege, rationeque humana vixi: ideoque volente Deo & beato Petro Apostolo, cujus sedem omnibus probris inquinavi, imago mea plus feritatis & bestialitatis habere videtur quam humanitatis.

Papa CLVI. *Anno Christi 1038.*

SILVESTER Papa, ejus nominis IV. natione Romanus, patre Laurentio; in locum Benedicti expulsi hoc anno surrogatus, non nisi menses II. sedit. Quia post id tempus suorum factione restitutus fuit: Et sic de pontificatu evenerat: qui plus largitionibus aut ambitione valeret, is talem gradum obtineret. Hic cum primum Sabinensis Cardinalis esset, suis largitionibus contra Benedictũ Papam Pontifex creatus fuit. Sed quia non per ostium in ovile ovium intraverat, ideò ut fur & latro, merito pulsus est, & Benedictus demum restitutus. Ac sic omnib. in tumultu existentib., amodo unum, modo alium Romani appetebant.

PA-

PAPA CLVII. *Anno Christi 1038.*

GREGORIUS Papa, hujus nominis VI. sedit in schismate annis II. & mens. III. Hic autem in Ecclesia Sancti Ioannis ad portam Latinam Archidiaconus existens, pontificatum, ut dictum est, à Benedicto IX. accepit. Quamobrem Henricus Cæsar habitâ Synodo, & Benedictum prædictum & Silvestrum, ac hunc Gregorium abdicare se pontificatu coëgit, & Clementem II. Pontificem creavit. Hunc tamen nonnulli virum optimum, & bene de Ecclesia Dei meritũ fuisse dicunt; cum sedem Apostolicam labefactatam, suâ virtute, animique magnitudine restituerit; Quia latrones hinc inde debachantes è medio sustulerit, & Ecclesiæ ditionem recuperaverit: prius tamẽ interdictis & execrationibus admonitos; post vi & armis domitos: hanc ob rem à multis homicida & sanguinis humani effusor potentissimus habitus est; nec non à Cardinalibus omnibus facinorosus prædicatus. Propter quod in ægritudine constitutus, quâ & mortuus est, hic Gregorius Cardinales omnes ad se vocavit; hosque verbis & rationibus castigans, id se juste & charitative fecisse

14. Schisma.

retulit, quod ipsi livore iniquitatis & crudelitatis fecisse reprehendebant. Et ut me verum dixisse sciatis inquit: Cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistitote vectibus obseratas: si portæ divino nutu aperientur, me dignum Christianâ sepulturâ censetote: sin aliter, corpus meum una cum anima damnatum: quo volueritis ejicitote. Mortuo itaque Pontifice Cardinales mandata ejus fecere, & statim coorto gravi vento, portæ apertæ sunt: corpusque cum admiratione omnium & magnæ sanctitatis opinione illatum est.

Vide miraculum pontificis.

Papa CLVIII. *Anno Christi 1040.*

Clemens Papa II. hujus nominis Episcopus Bābergenus, Sindegerus antea vocatus: vivētibus adhuc Gregorio, Silvestro, ac Benedicto Pontificibus, Henrico Cæsare imperante, ac jubente in Synodo congregata, Pontifex creatus: sedit menses IX. & diebus VII. nec post eum sedes vacavit: quia illo adhuc vivente, Damasus in Pontificatu successit: quem tamen in Augusto creatum, Romani veneno è medio sustulerunt.

PAPA CLIX. *Anno Christi 1040.*

DAMASUS Papa, hujus nominis secundus, natione Bavarus, nulla populi, Clerique consensu pontificatum occupans, sedit tantum diebus XXIV. Adeo enim corruptela hæc inoluerat: ut cuicunque ambitioso liceret Petri sedem turpiter occupare. Sed Deus malivolo & ambitioso viro, in exemplum cæterorum obstitit; quia tertio & vigesimo tyrannidis suæ die mortuus est.

PAPA CLX. *Anno Christi 1040.*

LEO Papa IX. hujus nominis, natione Almanus, post Damasum papam Pontifex factus, sedit annis III. & mens. II. & diebus VI. Mortuo namque Damaso Pontifice prædicto, Romani ad Imperatorem usque in Saxoniam misere, rogantes sibi Pontificem dari optimum: quibus Cæsar statim Bavonem Episcopum Tulensem, virum doctissimum & bonum ac simplicē obtulit ac destinavit. Qui cum Romam pertulit ac destinavit. Qui cumRomam per Vesontium civitatem, in pontificali habitu, peteret, quidam Cluniacensis Abbas & Hildebrandus Monachus Se- *Bonus pontifex.*

na Etruriæ urbe oriundus eidem forte obviaverunt: & cum veluti Apostatam reprehendentes, dixerunt ut papalia ornamenta omnino deponeret: videlicet ab Imperatore potestatem non habente concessa: quorum jussa humiliter exequens, in peregrini habitu invitum Romã perduxerunt. Qui ad Cardinalium, Clerique ac populi conspectum perductus, se velut incautum accusavit, eo quod Imperatori in hoc paruerit, rogavitque ne Petri sedem diutius vacare sinerent. Clerus autem Hildebrando Monacho suadente ipsum Bavonem in Pontificem elegit, Leonemque nonum vocavit: & hoc modo Pontifex factus, Hildebrandum ipsum Monachum ilico Cardinalem Diaconum fecit. Fuit autem Pontifex hic vir, pietate, innocentiâ, benignitate, gratiâ & hospitalitate, adeo insignis ut ejus domus semper peregrinis & pauperibus patuerit: Qua ex re contigit semel ante fores suas leprosum pauperem invenire, quem præ misericordia in lecto suo collocari præcepit: maneque facto nusquam pauperem inventum fuisse. Unde creditum pro certo fuit Christum illum fuisse, qui pauperis nomine illo in loco recubuit. In rebus præterea ad religionem pertinentibus tantâ diligentiâ usus est: ut man-

mandaverit Clericorum domicilia omnia juxta templa construi debere, ut habetur in Canone XII. q. I. c. necessaria. Tantæ denique auctoritatis & reverentiæ fuit; ut præ cæteris pontificibus suis admonitionibus Constantinopolitanum Imperatorem impulerit sepulchrum Domini à Barbaris iã XXXVII annis direptum, restituere. Hic igitur cum esset vir eruditissimus, studiosusque, nonnulla edidit opuscula, in quibus ejus eloquii venustas & sententiarum sublimitas commendatur: è quibus sunt ista videlicet de extirpandis hæresibus lib. I. Ad Constantinum Monachum Imperatorem lib. I. ad patriarcham Constantinopolitanum lib. I. contra errores Græcorum lib. I. Ad Episcopos Aphricæ & Ægypti lib. I. Epistolarum ad diversos lib. I. Moriens denique multis claruit miraculis, & apud sanctum Petrum sepelitur. *Hic multa volumina composuit.*

PAPA CLXI. *Anno Christi 1053.*

VICTOR Papa, ejus nominis II. natione Alemannus, è Bavariæ regione oriundus, hoc anno Leoni Pontifici suffectus: sedit annis II. & mens. III. ac diebus XIV. Hic omnium consensu pontifex electus ac confirma-

Synodum Florentiæ habuit. tus, statim magnam Synodum Florentiæ celebravit. In qua multos Episcopos & Prælatos, tum Simoniæ, tum fornicationis causa notatos, Episcopatu & dignitatibus privavit: ac Clerum admonuit, quod maxime ad se pertineret: pœnâ propositâ his, qui leges canonicas infringerent, aut transgrederentur. Tandem ad extremam horam veniens ibidem, videlicet Florentię, in Domino obdormivit: & post sedes vacavit dies XI,

Papa CLXII. *Anno Christi* 1055.

Stephanus Papa IX. ejus nominis, natione Lotharingus Cassinensis Abbas: Fridericus antea vocatus, eo ipso anno, quo & Henricus Cęsar post Gregorium Pontificatū adeptus. Sedit menses IV. qui statim ubi pontificatum iniit, curavit ut Mediolanensium Ecclesia, quæ à Romana ducentis ferme annis se subtraxerat, prima inter alias eam majorem, superiorēq; cognosceret: quæ etiam tunc usq; maximâ cum obedientiâ perseverat; eo itaque ipso anno *Florentiæ moritur.* Florentiæ defuncto in Cathedrali Ecclesia ibidem sepelitur.

PAPA CLXIII. *Anno Christi* 1056.

BENEDICTVS Papa, ejus nominis x. natione Campanus, Viletrensis Episcopus, hoc anno quorundam nobilium factione, Clero dissentiente Stephano pontifici suffectus, sedit menses VIII. & dies XX. Et quoniam non per ostium, sed per vim, & largitionibus intraverat, ab Hildebrando monacho pontificatu dejicitur: quo pudore ductus, statim Viletras exulatum perrexit. *Pontifex exulatum it.*

PAPA CLXIV. *Anno Christi* 1057.

NICOLAVS Papa, ejus nominis II. natione Sabaudiensis, Gerardus antea vocatus, Florentinus Episcopus, vir omni vitâ probatus, abrogato Benedicto, non legitime creato, Senas propter bonæ vitæ ejus famam à Cardinalibus, Episcopisque Canonice electus, sedit annis III, mens. VI. & diebus XXVI. qui pontificatu suscepto statim Sutrium concessit: atque ibidem Concilio habito, Benedictum prædictum, pontificatu se abdicare coëgit: inde Romam proficiscens aliud apud Lateranum Concilium habuit: in quo vir

prudens formam pontificum Romanorum à Cardinalibus eligendorum instituit: sicut habemus in decretis, di. xxxiij. c. in nomine Domini. In eodem quoque Concilio revocatum ab errore Berengarium prędictũ fuisse ferunt. Henricum autem tertium ibidem Imperatorem & Augustum ipse declaravit, Imperiique coronâ insignivit. Moriens denique cessavit papatus dies XII.

Papa CLXV. *Anno Christi 1061.*

Alexander Papa, secundus hujus nominis, natione Mediolanensis, Lucensis primo Episcopus, & Anselmus antea vocatus, hoc anno propter nimiam ejus humanitatem, atque consummatam doctrinam absens, Nicolao pontifici surrogatus, sedit XI. annis & mens. VI. qui pontificatu suscepto, statim Romam perrexit: sed cæteri Longobardi Episcopi quidam, Gilberto Parmense Episcopo annuente, in unum congregati, indignum esse dicentes, aliunde quam ex Lombardia pontificem eligendum esse, ab Henrico Imperatore obtinuerunt, Agnete uxore dissentiente, ut papam eligerent, quem vellent: illi autem Concilio coacto Cadolum Parmensem Antipapã delegerunt: cui

cui statim omnes Longobardi præter Mathildim Comitissam & virum ejus obedientiam præstiterunt: qui Cadolus à capitaneis Romam vocatus in prata Neronis descendit: ubi & bis contra Alexandrum armatâ manu pugnavit; unde & multi ex utroque exercitu cecidere. Irrumpente vero Othone Mediolanensium principe, & Gothofredo Normanno ac aliis compluribus, Cadoli exercitus superatur. Tandem Henrico Imperatore intercedente, Concilium Mantuæ indicitur, in quo quidem schismate composito, Alexander confirmatur: & Cadolo veniam petenti, ignoscitur; ubi etiam multa ad Ecclesiæ utilitatem constituta sunt: completoque Concilio è Mantua Romam proficiscens, dum Lucâ iter faceret, majoris urbis Ecclesiam beato Martino dicatam, cujus Episcopus ipse fuerat, sacris solennibus adhibitis, consecravit: ac ejus Canonicos ob benivolentiæ magnæ indicium spirituali privilegio, mitra pastorali insignitos reddidit; multis etiam privilegiis, ut ex eorum annalibus habetur, ipsam civitatem insignivit. Tandem Romam profectus haud multo post supervixit: mortuus denique in Lateranensi Ecclesia sepelitur.

15. Scisma.

Papa CLXVI. *Anno Christi 1073.*

GRegorius Papa, ejus nominis VII, natione Etruscus, patriâ Senensis, Patre Bonicio, Hildebrandus Monachus antea vocatus, post Alexandrum papam pontifex factus, sedit annis XII. mens. uno & diebus IV. Vir certe Deo & hominibus valde dilectus, prudens quidem, justus & modestus pauperum, pupillorumque ac viduarum patronns & pater, nec non & Ecclesiæ Romanæ, contra hæreticorum improbitatem & malorum principum potentiam, res Ecclesiasticas per vim occupare conantium, acerrimus defensor: qui pontificatu adepto, statim Henricum Imperatorem admonuit, ne deinceps largitione corruptus, Episcopatus, & Ecclesiastica beneficia alicui per Symoniacam pravitatem committerentur: cujus quidem admonitioni, suadente Giberto Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopo Henricus obtemperare renuit.: imo Gibertus ipse vir seditiosus contra Gregorium hunc, Cyntium Romanum civem præfectiq; urbis filium, virum utique temerarium, concitat: qui structis insidijs in natali Domini nocte celebrantem pontificem cepit, & secum

Cyntius Romanus pontificem celebrantem cepit.

cum

cum dedecore nimio trahens, in turri quadam munitissima recludit: sed die sequenti Romani facinore cognito, ipsum Cyntium persequuntur & pontificem sanctum liberant, turrimque evertunt ac Cyntii ædes funditus subvertunt, atque & viros & mulieres, de ejus familia natos obtruncant: quo tumultu Cyntius perterritus in Germaniam ad Henricum Imperatorem confugit: & Gregorius tantā injuriam divinæ majestatis causâ non diutius ferens, Gibertum & Clericos cum Henrico & Cyntio senatū anathemate notavit: sed postmodum Mathildis Comitissæ interventu apud Canusium oppidum suum Ecclesiæ ipsum reconciliavit: verum paulo post Henricus fœdera pacis abrupit quod fugeretur: indeque majorum decreta, ad rescindendam simoniæ labem pertinentia confirmavit, atque alia multa, ea in Synodo, Gratiano teste, constituit, & primo Clericis initiatis interdixit uxores habere, aut cum mulieribus simul habitare, nisi quas Nicena Synodus, aut cæteri Canones permisere. Mandavit quoque omnibus fidelibus Christianis diebus Sabbathinis carnes non manducare: ut de Cons. dist. v. c. Quia dies Sabbathi. Vetuit denique omnibus Monachis esum carnis: de cons. dist.

Carnes diebus Sabbathinis manducare prohibet.

dist. v. c. Carmen cuiquam Monacho. tum vero Henricus Imperator iratus magis quam monitus, habito conventu Episcoporum male sentientium, Gibertum olim Ravennatis Ecclesiæ Episcopum ab isto Gregorio summum pontificem denuo creat, Clementemque appellat: qui una cum Henrico Romam veniens ipsum Gregorium Papam diu in Adriani mole obsedit & afflixit, donec à Roberto Apuliæ duce liberatus est: qui cum eodem Salerium vadens, ibidem pie in Domino quievit.

Nota videtur hic mendum.

Papa CLXVII. *Anno Christi* 1058

VICTOR Papa, hujus nominis III. Abbas montis Cassini, Desiderius antea vocatus, Gregorii Pontifici hoc anno surrogatus, sedit anno uno & mens. IV. Qui pontifex factus statim Gregorii partes contra Gibertum Antipapam tutandas suscepit: quam ob causam Henricum Imperatorem sibi constituit inimicum, à quo etiam veneno in calicem misso, tandem è medio sublatus est,

PAPA CLXVIII. *Anno Christi 1086.*

VRBANUS Papa, ejus nominis II. Odo antea vocatus, Cluniacensium Abbas, Victori pontifici hoc anno suffectus, sedit annis XIII. & mens. IV. vir quidem & doctrina & sanctitate præcipuus. Qui & verbo & opere & exemplis ac scriptis elegantissimis Dei Ecclesiam contra hæreticos mirifice confirmavit: cujus etiam plurimæ ad Mathildim extant epistolæ, succo plenæ; ejusque Mathildis Comitissæ hortatu, posteaquam in Melphi Concilium habuisset, cum nullum quietis locum haberet, *Synodus.* Placentiam venit: atque ibi aliam Synodum habuit, in qua execrationem in Henricum & Gibertum Antipapam à Gregorio factã confirmavit: petulantiam quoque quorundam Ecclesiasticorum, ea in Synodo, teste Oratiano, animosissime compescuit. Statuit itaque, ut ordinatio Episcopi sine titulo facta, statim irrita esset: ut legitur in decretis dist. LXX. c. sanctorum Canonum. Consumata vero Synodo, Urbanus hic Mathildi Comitissę valefaciens in Gallias transmigravit: ubi denuo de salute fidei cogitans, Concilium

cilium apud Claromontem Alverniæ civitatem convocavit : & expeditionem in Saracenos, pro Hierosolyma recuperanda persuasit, & 300. hominum millia ea in expeditione cruce signavit: statutaque alia, eo in Concilio multa facta fuere, & inter cætera, ut horæ de Beata Maria à Clericis quotidie exsolverentur, & ejus officium diebus Sabbathinis solemniter celebraretur : eo quoque in Concilio, Philippum & ejus uxorem excommunicavit: quo facto statim Romam rediit, ut compositis in Italia rebus, Italos quoque principes ad eandem expeditionem animaret: sed maximis seditionibus à Ioanne Pagano viro seditiosissimo cępit exagitari: quapropter timore correptus his domo cujusdam Petri Leonis, civis Romani potentissimi biennio se continuit : mortuo denique Ioanne prædicto liberior factus, ad componendum Ecclesię statum iterum animum adjecit, & Archiepiscopum Mediolanensem pulsum, eo quod contra jus fasque ab uno consecratus fuerat, in gratiam recepit: & pallium humiliter petenti cum integra potestate restituit: hoc idem & Toletano Episcopo fecit. Tandē vir sanctus post multas persecutiones & labores IV. Kal. Augusti moriens in sancto Pe-

Officium beatæ Mariæ virginis in Sabbatho dici debere.

tro Romæ ſepelitur: & poſt ſedes XVII. vacavit dies.

PAPA CLXIX. *Anno Chriſti* 1100.

PASCHALIS Papa, ejus nominis ſecundus, natione Italus ex Flaminea Provincia oriundus, patre Creſcentio, Rainerius antea vocatus, hoc anno Urbano Pontifici ſuffectus, ſedit annis xviij. menſ. v. & diebus vij. Hic etiam Monachus exiſtens, nolens, invituſque Pontifex creatur, qui Eccleſiæ Dei prope labenti quorundam ſeditionibus conſulturus, copias ſuas in Gibertum Antipapam, malorum omnium caput, mittit: propter quod Gibertus, timore perterritus, non multo poſt, ſubita morte interiit: pacatâ mox Eccleſiâ Paſchalis, ingenii magni: & animi maximi vir, à religione ad arma converſus, adjuvantibus amicis Caſtellanam urbē, ac Beneventanam ab hoſtibus occupatas, vi & armis recepit: his & aliis plurimis facinoribus ſtrenue geſtis, Paſchalis in Ciſalpinam proficiſcitur provinciam: ubi ad Guardacaſtellum, agri Cremonenſis oppidum, conventu multorum Principum & Epiſcoporum habito, de homagiis, de præbendis, de Sacramentis, perantea laicis exhibitis, exhi-

exhibentisve, magna habita est ratio: ibidem quoque Emiliæ provinciæ urbes, videlicet Placentiam, Parmã, Rhegium, Mutinam & Bononiam, Ravennati Ecclesiæ, tanquam Metropoli amplius non subesse constituit, quod diu ipsa Metropolis Ecclesia Ravennatis Romano Pontifici rebellis fuisset: atque cum intelligeret Sacerdotes Gallos, non ita integre ut decebat vitam ducere, eo profectus apud Trecas conventum habuit; & redactis ad laudabiliorem vitam & cultum Ecclesiis, in Italiam propere rediit, quod intellexit ibidem omnia seditionibus perturbari: verum haud multo post, compositis in Italia rebus, ad bellum Asiaticum literis & nunciis omnes Christianos Principes animavit: verum cum recusaret confirmare Episcopos quos hæreticus contra fas, jusque pro libidine, quibus voluisset, concesserat, una cum Cardinalibus ab Henrico Imperatore capitur, & in carcerem truditur. Nec inde prius eductus est quam omnes in Episcopatu confirmaret: atque hoc modo rebus compositis Imperatorem denuo coronavit. Recedente postea ab Italia Imperatore, Paschalis hic aliud Concilium apud Lateranum congregans, omnia quæ Henrico promiserat revocavit: asserens non sponte,

Hic Sacerdotes Gallos non bene viventes ad meliorem vitam reduxit.

te, ſed coacte in Cæſaris ſententiam veniſſe: poſt hæc Romæ xv, Eccleſias conſecravit, atque alias plurimas reſtituit: mortuus denique in Conſtantiana Baſilica xv. Kal. Februarii, maxima cum pompa ſepelitur.

PAPA CLXX. *Anno Chriſti* 1118.

GELASIUS Papa hujus nominis II. patre Creſcentio cive Cajetano, hoc anno Paſchali pontifici ſucceſſor factus, ſedit anno uno & menſ. v. Hic à teneris annis ingenue educatus, in monte Caſſino religionis documenta ſub Odoroſio Abbate ſanctiſſimo ſuſcepit, ac peroptime didicit: vir & ipſe ſanctiſſimus, & omni laude digniſſimus, ſi vitam continentiſſimam, ſi mores, ſi doctrinam ſingularem inſpicias. Nam conſtanter & ſanctæ mentis, in procellis humanarum perturbationum vitam duxit: Unde Cyntius Fregipinus, Patricius Romanus, vir potentiſſimus, quia contra ejus voluntatem pontifex creatus fuit, irâ percitus eum ſtatim comprehendit: & in terram dejectum calcibus& pugnis primo contrivit, ac poſtmodum in vincula conjecit: verum à populo confeſtim liberatur, & à Clero de more coronatur: per ſequen-

ſequente deinde illum Henrico Imperatore in Gallias confugit: ibique à Cluniacenſe Abbate honorificentiſſime ſuſceptus, cumque in monaſterium perveniſſet, pleureſi correptus moritur, atque ibidem intra cœnobii limina ſepelitur.

Papa CLXXI. *Anno Christi 1120.*

Calixtus Papa, ejus hominis II. Viennenſis Archiepiſcopus, natione Burgundus, comitiſque Burgundi frater, hoc anno à Cardinalibus, qui ibidem aderant, Gelaſio Pontifici ſubſtitutus, ſedit annis v. & menſ. x. Hic ex regum Franciæ Angliæque ac Germaniæ proſapia oriundus fuit; Guido antea vocatus, juris civilis ac ſacræ Theologiæ Doctor, qui non prius pontificatum acceptare voluit, quam Cardinalium Romæ exiſtentium, clerique ac populi Romani conſenſum habuiſſet: quo quidem habito Romam venit, & magno deſiderio, magnoque honore exceptus eſt, ſtatimque Beneventum ſe tranſtulit, atque ibidem omnes Principes convenit, & quam maxime Gulielmum Apuliæ ducem, Iordanum Campaniæ comitem, ac alios inſignes Viros, illius Italiæ partis principes; quibus adhibito ſacramento jurejurando

promi-

promiserunt se in potestate Romani pontificis semper affuturos: indeque Romam rediens, legatos ad Henricum Imperatorem, qui pacem cum eo firmarent, misit. Atque rursus Beneventum rediit: causa autem illius itineris fuit, quod Gulielmus Apuliæ & Calabriæ dux Alexii Imperatoris Greci filiam ducturus uxorem, cum Constantinopolim navigasset, curam sui ducatus huic pontifici commisit seu reliquit: cumque ibidem multos suorum febribus amisisset, & ipse tandem ægrotus Romam relatus est; ubi valetudine redintegrata, apud Lateranum nongentorum patrum concilium celebravit: ubi decretum est militiæ supplementum & auxilia mitti, ne Christiani qui in Asia erant, capto Balduino opprimerentur: unde & Genuenses & Venetos ac Pisanos magna classe in hostem concitavit: in ea namque classe, ut Iacobus Theologus scribit, Genuenses sui LXX. naves onerarias misere. Quibus optime ex sententia gestis Calixtus aliquid quietis ab externis nactus: Basilicas multas in urbe refecit, ac urbis mœnia instauravit atque arces omnes communivit, nec non & aquam quandã in urbem introduxit. Multa quoque donaria Ecclesiis hinc inde obtulit. Tandem de Deo deque omnibus bene

Venetorum Classis.

bene meritus, anno v. sui pontificatus quievit in pace.

Papa CLXXII. *Anno Christi* 1126

HOnorius Papa II. hujus nominis, natione Imolensis, Episcopus Hostiensis, Lambertus antea vocatus, hoc anno Calixto pontifici suffectus; sedit annis v. mensibus & diebus III. Qui etsi obscuro loco natus, literis tamen & moribus, tanto magistratu dignum se fecit. Attamen ejus ingressum non æque bonum fuisse tradunt; quia quorundã ambitione potius quam omnium bonorum consensu iniisse pontificatum ferunt. Et nihilominus pontifex effectus statim Cardinales quosdam insignes viros creavit: quorum consilio & operâ magnis in rebus semper postea usus est. Tandem cum pontificatum per quinquennium recte gubernasset, moritur, & cunctis collachrymantibus in Basilica Lateranensi sepelitur.

Papa CLXXIII. *Anno Christi* 1131.

INnocentius Papa hujus nominis secundus, natione Romanus, patre Ioanne de regione Trans-Tyberim

Hono

Honorio Pontifici hoc anno ſurrogatus, ſedit annis XIX menſ. VIII & diebus VIII. Qui pontificatu ſuſcepto ſtatim in Rogerium Apuliæ ducem bellum movet: à quo poſt dira utriusque prælia pontifex ipſe, cum multis Cardinalibus captus eſt: Sed Rogerius, ut erat vir prudens: capto Pontifice, reverentiâ & modeſtiâ uſus ſtatim ipſum liberum cum Cardinalibus eſſe voluit, & Romam maximâ cum reverentia remiſit. At pontifex Romam reverſus, ubi Petrum Romanum civem Antipapam creatum, & omnia ſeditionibus plena cerneret, reſque ad multorum cædes ſpectare videret; ſponte ceſſit: & primò Piſas adnavigavit, deinde Genuam: à quibus omnibus pientiſſime & munificentiſſime ſuſceptus in Franciam tuto præſidio perductus eſt, ubi & à Beato Bernardo viro ſanctiſſimo, & à cunctis principatibus, qui beatum Bernardum maximâ proſequebantur reverentiâ, qui omnes apud montem Clarum ejus rei gratiâ convenerant, magnificentiſſime ſuſcipitur: eoque loci Concilio celebrato multorum patrum, Petrum Antipapam cum ſuis ſectatoribus condemnavit: in Belgis deinde alia Synodo celebrata, ſtatim in Italiam una cum Lothario Imperatore rediit. Celebrato

Pontifex capitur.

Beatus Bernardus.

Concilium apud montem Clarum.

Concilium Placentiæ. etiam apud Placentiam urbem Concilio Pisas se contulit. Quam quidem Civitatem cum Genuensi populo jam pridem desidentem ad pacem tandem redegit. His gestis una cum Imperatore Romano accessit, & magno cum exercitu urbem ingressus, nusquam Antipapa apparente, in Lateranum pervenit. Atque ita factiosos & Rogerium Siciliæ regem ad sanitatem & obedientiam redegit. Verum dum quietura Respublica Christiana putaretur: Ecclesia Romana contra eum cornua erigentes, Senatores more antiquo denuò creant, qui rempublicam Romanam, ditionemque ad sæculares pertinentes gubernarent. Vnde & Pontifex, ut & his etiam resisteret, apud Lateranum Concilium aliud habere voluit, atque eo Concilio, Gratiano teste, constitutionem edidit, ne quis laicus sub anathematis pœnâ manum violentam in Clericum mittere præsumeret, sicut habemus in canone XVII. q. VII. c. Si quis suadente Diabolo. Mandaverat item superioribus annis in Remensi Concilio sub diaconibus & supra, sub omni beneficiorum privatione continenter vivere, ut etiam legitur intra decreta XVIII. dist. c. Decrevimus ut hi. Vetuit præterea ne quis Episcopus in Ecclesiasti-

De percussione Clerici.

cleſiaſtico beneficio ſibi ſucceſſorem conſtitueret. VIII. q. I. c. Apoſtolica auctoritate. Tandem in anno Domini 1143. defunctus apud Lateranum ſepelitur.

PAPA CLXXIV. *Anno Chriſti 1045.*

CELESTINUS Papa ejus nominis II. natione Tuſcus, ex quodam ſanctæ Fœlicitatis Caſtro natus, Guido antea vocatus, hoc anno in Innocentii Pontificis locum, omnium conſenſu, pontifex creatus, ſedit menſibus V. Hic beatus tantummodò in hoc dici poteſt, quod nullis ſeditionibus toto ſuo pontificatu vexatus fuerit; propter hanc, ut arbitror, cauſam, quia ubique peſte laboratum eſt. Ex qua etiam ipſe menſ. 5. defecit, & in Lateranenſi Baſilica ſepultus fuit.

PAPA CLXXV. *Anno Chriſti 1146.*

LUCIUS Papa II. hujus nominis natione Bononienſis, patre Alberto, poſt Celeſtinum pontificem prædictum ſedit menſ. XI diebus IX. Hic tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyter Cardinalis fuit. Quam quidem Baſilicam ferme totam collapſam, propriis

expensis restituit. Qui inito pontificatu nil prætermisit, quod ad expeditionem Hierosolymitanam necessarium putabat. Verum & ipse dum in his versaretur, peste absumitur & in Lateranensi Basilica sepelitur.

Papa CLXXVI. *Anno Christi 1147.*

Evgenivs Papa ejus nominis III. natione Pisanus, sancti Anastasii Abbas, quem Beatus Bernardus Monachum fecerat, post Lucium pontificem electus Papa sedit annis VIII. mens. VII. & diebus xx. Hic vir prudentissimus & optimus quidem fuit, qui Romanorum conatus intelligens, quod quinque Senatores suos confirmari omnino volebant, ad Farfense monasterium, noctu in Sabinos abiit: ibique consecratus statum Romam rediit, & molestantes Romanos molestare cæpit. Qui pace postulata Magistratu se abdicarunt. Sed paulò post intelligens dolose contra eum Romanos agere velle, Tiberi dilabitur: quem Romani non secus quam Gelasium olim cum sagittis persecuti sunt. Ille autem Pisas, & deinde in Franciam navigavit, ubi reperto Bernardo patre suo ad Ludovicum Franciæ regem se contulit, illumque

cruce ſignavit, & multos cum eo in Turcos & Saracenos animavit: Inde regis auxilio fretus Romam rediit, & à Romanis cum magno apparatu, & eximia omnium expectatione exceptus eſt: verum cum Tibur recreandi animi gratia conceſſit, non ita multò poſt ibidem vitâ diſceſſit, Romamque delatus, in Baſilica beati Petri ſepelitur.

PAPA CLXXVII. *Anno Chriſti* 1155.

ANASTASIUS Papa ejus nominis IV natione Romanus, ex patre Benedicto natus, ſancti Ruffi Viletriniæ Diœceſis Abbas, Eugenio pontifici hoc anno ſuffectus, ſedit annis II. menſ. IV. & diebus XXIV. vir certè pientiſſimus & multæ miſericordiæ inſignitus, qui cum in tota ferme Europa fame & gravi peſte laboraretur, clam & apertè largas pauperibus eleemoſynas, etiam extra Romanam urbem præbebat. Hic itaque pontificatum adeptus, mox calicem pulcherrimi operis pondo marcharum XX. & alia quædam donaria Lateranenſi Eccleſiæ condonavit: Palatium deinde peregregium apud ſanctam Mariam rotundam ædificavit, cumque religioſos viros plurimum

mum veneraretur, & privilegiis amplissimis & gratiis communivit, & quam maximè Guilhelmum Heremitarum sancti Augustini professum, olim Aquitaniæ provinciæ ducem summa devotione complexus est: multa enim, tum ad dignitatem Ecclesiæ, tumque ad ornatum urbis facere statuerat, quod & fecisset, nisi immatura morte præventus fuisset: tandem viam universæ carnis ingressus in Basilica Lateranensi sepulchro porphyretico sepelitur.

Papa CLXXVIII. *Anno Christi 1157.*

ADRIANVS Papa IV. hujus nominis, natione Anglicus, professione Monachus, hoc anno Anastasio pontifici suffectus, sedit annis IV. & mens. X. Hic cum esset egregius declamator, ab Eugenio tertio in Norvegiam provinciam convertendam missus fuit: & ita illam, ut dictum est, ad Christi fidem convertit: qui Magistratu suscepto: minis ac precibus à Romano populo tentatus fuit: ut scilicet liberam urbis administrationem consulibus relinqueret, quod se facturum constantissimè recusavit: quam ob causam populus indignatus, cardinalem unum multis

multis affici plagis fecerunt: unde Pontifex eos acerba & dira execratione ac interdicto persecutus est: itidem fecit in Guilielmum Neapolitanum & Siciliæ regem: qui multas Ecclesiæ occupaverat urbes. Verum postea Pontifex eum in gratiam receptum omnia errata pepercit: Hic itaque Romanam ditionem plurimum auxit, & circa lacum sanctæ Christinæ, seu Vulsinum multa castella erexit atque munivit, & prædia comitibus coëmit: primusque Pontificum urbem inhabitavit: quam etiam mœnibus & ædibus cultiorem reddidit: ubi aliquantulum immoratus Romam reversus est, sed ibidem malignam consulum conversationem odio habens, Agriganum petiit, ubi paulò post deficiens, corpus suum Romam delatum in Basilica beati Petri sepelitur. *Patria sanctæ Christinæ.*

PAPA CLXXIX. *Anno Christi 1161.*

ALEXANDER Papa III. hujus nominis, natione Senensis, hoc anno Adriano pontifice defuncto à duobus & viginti Cardinalibus presbyteris suffectus, sedit annis XXI & diebus XIX. Vir certè strenuus animique excellentissimi insignitus, in cujus electione maxima in urbe Roma suborta

est seditio, eo quod duo maximi pontifices constituti fuerunt, quorum unus hic, alter verò à tribus solummodò prophanis Cardinalibus Victor appellatus est, qui inter se dissentientes Victor ad Federicum Imperatorem, Alexander verò ad Galvagnum Mediolanensium principem & Philippum Francorum, atque Henricum Anglorum reges, ac alios Italiæ Principes confugit: quam ob causam Federicus etiam alios pontifices maximos creavit. Nam Victore prædicto mortuo, primò Paschalem, post Calixtum, deindè Innocentium pontifices summos constituit: qui omnes in sua execratione pessima periere. Alexander itaque hic, talibus & tam continuis circumdatus seditionibus, quum etiam Federicus omnem fermè Romanæ Ecclesiæ ditionem occupasset, hortante Philippo Francorum rege, & Gulielmo Siciliæ rege strenuissimo, ac potentissimo, in transalpinam Galliam contendit, ubi & in Claro monte concilio habito, Federicum Imperatorem ac Victorem Anti-papam cum eorũ complicibus schismaticis anathemate notavit, quapropter Federicus turbatus, destructis Mediolano ac aliis compluribus Italiæ urbibus è vestigio in Germaniam concessit: mortuo autem apud

Lucam

Lucam Ethruriæ urbem, Victore Antipapa, Guido Cremonenſis à ſeditioſis ſurrogatur, & Paſchalem appellant: interim Alexander ab amicis ſuis conſulibus Romam ex Gallia revocatus, Ciſalpinæ Galliæ populi in libertatis ſpem eriguntur, & contra Federicum Imperatorem ſæviſſimè imperantem arma ſuſcipiunt, & ejus præſidia ex munitionibus ejiciunt: quo audito, Federicus rurſus ex Germania cum magno exercitu in Auſoniam venit, & ulciſcendi injurias, ut ipſe dicebat, occaſionem nactus in Romanam urbem rerum dominam bellum movet, pro quo pontifex ejus vires perhorreſcens, poſt duram urbis obſidionem, & horrendas utriuſque partis cædes, decimo ſeptimo ſui pontificatus anno, coqui ſumptis veſtibus, eo in habitu Venetias profugit, & ad divæ virginis de charitate monaſterium paulò ante à Marcho Iuliano conditum profectus, ibidem ab accolis recipitur & ortulo præficitur: poſt aliquot verò menſes, cum quidam nomine Commodus, eum ibidem agnoviſſet, velut inſenſatus confeſtim ad Sebaſtianum Ziano urbis principem cucurrit, & ſecretè ſignificavit, in urbe Veneta adeſſe Pontificem Romanum, qui re cognita, mox ſenatum con-

Pontifex Venetias fugit in monaſterium Charitatis.

gregans, cum omni apparatu ad pontificis diversorium accessit. Compertoque ibidem pontifice Romano, in tali habitu despecto, cum crucibus aliisque solemnibus Cerimoniis ad divi Marci templum cum omni gaudio & plausu primò perduxerunt: cumque ibidem Pontifex ante altare ex more consedisset, in primis ipsum principem & Senatum, ac omnem populum benedixit: Deinde Venetis omnibus gratias egit: Imperator verò audiens summum pontificem Venetiis adesse, Othonem filium suum cum armata Classe ad reposcendum ipsum Venetias misit, cui Sebastianus princeps occurrens, facto congressu ipsum superavit, & Venetias captivum perduxit. Otho autem ad pontificem perductus, eo procurante, pax inter pontificem & Imperatorem patrem componitur. Altera verò quæ secuta est dies Federicus Venetias venit, & pacem à filio confectam hoc modo approbavit, ut Roma, & quæ ditionis erant Ecclesiasticæ summo Pontifici restituerentur, & quicquid ille pro perpetratâ culpa injungeret, patienter perferret. Isto igitur fœdere inito, Alexander summus pontifex confestim ad januas templi divi Marci Evangelistæ accessit, & ibidem, universo astante popu-

lo

lo Imperatori jussit ut se humi prosterneret, & veniam denuò expostularet: quo facto Alexander pontifex Imperatoris collum pede comprimens ait, Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem: ac Federicus, Non tibi, inquit, sed Petro cui successor es pareo: & summus Pontifex respondit, Et mihi & Petro: ac sic inter Imperatorem & summum Pontificem pace composita: ipse Imperator cum bona venia recedens se Constantiam contulit: atque etiam ibidem pacis federa cum omnibus, Romano imperio subditis percussit, quæ pax Constantiana nuncupata est, ac pro lege habita, apud nostros allegatur. Abiens autem Venetiis summus Pontifex, cum Guilielmi Siculi regis triremibus XIII. Venetis ob acceptum beneficium, quibusdam gratiis & privilegiis Venetum Ducem atque senatum exornavit, & primò iisdem funale candidum concessit: quod solis Pontificibus Romanis portandum consuetudo erat. Item quod plumbo eorum Epistolas ac privilegia sigillare deinceps possent, quod tantum summis Pontificibus licitum erat: Tertiò eidem principi umbrellam concessit, quod est ornamentum Galero persimile. Quarto

Venetorum principi etiam in theatro ſedem fieri fecit: cum prius duæ tantum in papæ theatro ſedes erant, quarum dextram ſummus pontifex, ſiniſtram verò Cæſar tenebat. Demum in aſcenſione Domini noſtri Ieſu Chriſti plenariam indulgentiam in templo divi Marci Evangeliſtæ perpetuò duraturam conceſſit, quæ in præſens uſque perdurat. Quintò ipſi Duci octo vexilla ſericea diverſorum colorum conceſſit & obtulit. Sextò denique cereum album eidem condonavit, quæ omnia in Palatio divi Marci arte ac ingenio Gentilis Bellini, nunc miro artificio depicta videntur: cumque tertiò hic Pontifex Romam veniſſet, præcedente obviam honoris gratia omni populo, ſtatimque apud Lateranum Concilium celebravit, tum maxime, ut mores curiæ, jam nimiâ licentiâ labefactatos componeret, tum etiam ut alia ad rem Chriſtianam publicam neceſſaria, conſtitueret. Quibus rebus ſic geſtis, dum poſt longos labores quieturus ſperaret, anno pontificatus ſui primo & xx Romæ moritur, ſublatis prius è medio quatuor ſchiſmaticis Pontificibus, quorum ſeditionibus Eccleſia Romana ferè ſubverſa eſt.

Gentilis Bellinus pictor egregius.

Papa

PAPA CLXXX. *Anno Christi 1181.*

LUCIUS Papa ejus nominis III. natione Lucanus, post Alexandrum pontificem sedit annis IV. & mens. II. Hic optimus vir, cum pontificatum suscepisset, cum Consulum nomen è Romana republica abolere anniteretur, ex urbe ejectus est, atque ejus fautoribus Romani in seditionem versi oculos effodêre: unde pontifex Veronam veniens, ibidem propter acceptam tam gravem à Romanis contumeliam, ibidem magno habito Concilio, & ipsorum licentiam improbavit, & principes Christian. adhortatus est, ut nostris in Asia & Syria laborantibus pro Christo succurrerent: dum autem pro hac re nuncii ultro citroque mitterentur, ibidem sanctus pontifex emoritur, & magnâ adhibitâ pompa ante altare cathedralis Ecclesiæ sepelitur. Hic Lucensibus suis à Federico Imperatore signandi pecuniam licentiam impetravit.

PAPA CLXXXI. *Anno Christi 1185.*

URBANUS Papa III. hujus nominis, natione Mediolanensis, patre

patre Ioanne, gente nobili Cribella natus : hoc anno Lucio Pontifici suffectus, sedit anno uno & mens. quasi XI. qui quamprimum pontificatum iniit, revocare ad concordiam Christianos, & quam maxime in Asia annixus est : unde primo pontificatus sui anno, comparandæ Classis gratiâ ne Hierosolyma caperetur, Venetias venit : sed auditâ Hierosolymorum captivitate, ac Christianorum miseriâ, ex dolore animi accepto, in itinere apud Ferrariam obiit, ibique sepultus fuit.

Pontifex Ferrariæ moritur.

PAPA CLXXXII. *Anno Christi 1186.*

GREGORIUS papa, ejus nominis VIII, genere Beneventanus, Vrbano pontifici, hoc anno summo omnium consensu suffectus: sedet mense uno & diebus tantummodo XXVII. qui pontificatu inito pari ardore contra Barbaros accensus statim Pisas proficiscitur, ubi dum Genuenses cum Pisanis composuisset: hanc eis legem imposuit, ut uterque populus Classem quantam possent congregarent, & in Asiam pro Christiana religione tuenda properarent. Erat tunc populus Pisanus bello maritimo admodum potens. Sed dum hæc

Pisani populi maritimo bello potentes.

hæc ardentiori cura vir sanctus ageret: ibidem moritur; atque eo in loco cum luctu maximo sepelitur.

PAPA CLXXXIII. *Anno Christi* 1186.

CLEMENS Papa III. hujus nominis, patre Ioanne cive Romano natus, postea pontificatum accipiens, sedit annis II. & diebus XVI. Hic etiam Pontificatu suscepto, confestim de bello in Saracenos ducendo edictum proposuit: postmodum nonnulla ædificia in urbe extruxit, & Claustrum apud Sanctum Laurentium extra muros ædificavit, & ædes Lateranenses vetustate collabentes, non mediocri impensa restituit, & ejus templum musinis exornavit: nec non & quorundam Clericorum mores prophanos, sua severitate emendavit: atque cum Tancredo Apuliæ tyranno bellum gessit. Tandem cum mortem obiisset, in Lateranensi Ecclesia cum ingenti pompa sepelitur.

Papa CLXXXIV. *Anno Christi 1188.*

Celestinus Papa, hujus nominis III. natione Romanus, Clementi pontifici hoc anno suffectus, sedit annis VI. mens. VII. & diebus XI. Pontifex quidem per omnia bonus, imo & optimus. Qui suscepto magistratu, Henricum, ut dictum est, coronâ coronavit, atq; ei Constantiam monacham in matrimonium collocavit: & quoad vixit, nil prætermisit, quo minus Hierosolymitana civitas recuperaretur. Et licet in multis bellorum sumptibus quotidie opprimeretur, tamen egregias ædes apud sanctum Petrum & Lateranum exstruxit. Moriens tandem, cunctis præ dolore lachrymantibus in beati Petri templo sepelitur.

Papa CLXXXV. *Anno Christi 1195.*

Innocentius Papa, ejus nominis III. patria Campanus, patre Transimundo Anagino, ex infima plebe nato, Papatum post Celestinum pontificem accipiens, sedit annis XVIII. & mens. IV. ac diebus XXIV. Vir certe in omni

omni genere vitæ probatissimus atque doctissimus, qui & à primæva ætate Parisiis litteris operam dedit, ubi tantum profecit quod postmodum multa librorum volumina composuit. Inter quæ extat liber de miseria conditionis humanæ, qui incipit: Quare de vulva matris. De Officio missæ lib. II. qui incipiunt: Tria sunt. De sacramento Baptismi lib. I. De claustro animæ lib. I. In septem Psalmos pœnitentiales lib. I. Decretales antiquas lib. I. quas quidem observari mandavit, in quibus multas hæreses improbat, sicut in principio voluminis habetur. Item multos sermones composuit de temporibus, diebus singulis accommodatos. Ejus autem opera & impensa hospitale sancti Spiritus intra urbem Leoninam conditum, magnis proventibus auctum fuisse constat, quod postea Sixtus quartus pontifex miro cultu exornavit, indeque Basilicam sancti Sixti vetustate collabentem restituit: universisque Ecclesiis, quæ intra urbem erant, pro conficiendis calicibus, argenti libram unam obtulit. Et altare beati Petri plurimum ornavit. Verum dum Perusii tollendæ discordiæ causa, quæ inter Genuenses & Pisanos vigebat, profectus esset: ibidem in pace quievit. hic primum ordinem divi Au-

gustini Heremiticum, suâ sub tutela videlicet Apostolica suscepit, ut patet ex ejus indulto, quod incipit: Solet annuere.

Papa CLXXXVI. *Anno Christi* 1214.

Honorius Papa, ejus nominis III. natione Romanus, patre Americo, hoc anno Innocentio Pontifici succedens, sedit annis x. mens. vii. & diebus xiii. vir sane doctus, & ut pastorem decet optimus. Qui Pontificatu inito imperiales titulos Frederico secundo statim contulit. Quem tamen postea Iuribus Ecclesiasticis sibi usurpatis, anathemate primo notatum postea dignitate privavit. Deinde ut præfertur, Petrum Altisidorensem Constantinopolitanum Imperatorem coronavit: & cum ordinem Heremitarum, prout Innocentius fecerat, protegendum suscepisset, etiam ordines novos, videlicet Prædicatorum & Minorum confirmare voluit: Hierosolymorum etiam regem nomine Ioannem ex Asia ad se Romam venientem benignissime suscepit, & multis muneribus à se dotatum in Angliam remisit: Basilicam quoque divi Laurentii extra muros & Basilicam sanctæ Bibianæ, nec non & sancti

ſancti Petri ſancta ſanctorum reſtituit, atq; ædes Marii, Marthæ & Audifax ædificavit: & cum eſſet Doctor egregius, multas Decretales & ipſe compoſuit: & cum omnibus bene & optime vitam duxiſſet, tandem ſanctiſſime moriens in Baſilica ſanctæ Mariæ majoris ſepelitur.

Papa CLXXXVII. *Anno Chriſti* 1225.

Gregorius Papa, hujus nominis IX. natione Anagninus, de proſapia Innocentii III, papæ, Honorio Pontifici hoc anno ſuffectus, ſedit annis xiv. & menſ. iij. Hic ſuſcepto Pontificatu, Honorii prædeceſſoris ſui ſententiam in Federicum prolatam confirmavit, quod ad recuperandam Hieroſolymam proficiſci nollet: propter quod Imperator ipſe inimicitias graves & maximas adverſos pontificem conſtituit: & exercitu cumparato ſtatim in eum mittit, cumq; in urbe obſidens etiam magnā patrimonii partem occupavit, ac Romanos pene omnes pecuniâ corrupit. Bonis itaque temporalibus pontifici deficientibus ipſe delatis per urbem ſupplicando Apoſtolorum capitibus populum ad commiſerationē in ipſum cōmovit, ac ſic tumultuantes Romanos in ſuā ſententiam traxit,

traxit, & adeo ut eos impulerit pro Ecclesia & pontifice crucem & arma suscipere, ac venientem Imperatorem ab urbe summovere: Federicus autem irâ percitus multos captivos variis cruciatibus interfecit, ac multas urbis Ecclesias arripuit & earum muros evertit, atque alia loca ferro & flamma vastavit, quam ob rem Gregorius de abrogando Federico Concilium celebravit: sed re ab ipso Federico cognita, vias omnes terrâ marique præclusit, & quosdam Cardinales ac Prelatos, adjuvantibus Pisanis suis in mari cepit, & in carcerem conjecit, imo demersit: qua ex re tantum dolorem Gregorius hic contraxit, ut non diu postea supervixerit. Hic itaque pontifex, Dominicum prædicatorum ducem, & Antonium ordinis minorum fratrum, atque Elisabeth Vngariæ regis filiam, & Franciscum Seraphicum minorum patrem, ultimo sui pontificatus anno in sanctos retulit confessores: Genuenses vero ac Venetos dissidentes ad concordiam revocavit, utque deinceps in bellis gerendis utrisque impensæ communes essent, & signa vicissim utriusque ferrent: qui tandem multis quassatus ærumnis & laboribus, XIV. sui pontificatus anno moritur.

Hic canonizavit divum Dominicum, Antonium, Elisabeth & Franciscum.

PA-

PAPA CLXXXVIII. *Anno Christi* 1240.

CELESTINUS Papa, hujus nominis IV. patriâ Mediolanensis, gente nobili Castelliona natus, Gregorio pontifici hoc anno suffectus, sedit tantummodo diebus VIII. & post sedes vacavit mens. XXI. cum per capturam Cardinalium electio dilata fuisset. Hic itaque vir vitâ & scientia ac prudentiâ admodum insignis fuit, cujus sententia hæc fuit præcipua. Difficilius inquit in secundis rebus, quam in adversis esse moderatum: hic tantum eloquentiâ valuit, ut Federicum, dimissa Ecclesia, contra Mauros transire compulerit, quamvis in sententia non manserit, quia statim in Italiam, non sine magno dedecore rediit: dum enim Federicus contra Mauros accessisset, Celestinus hic vita decessit, & sic illa incepta dimisit.

PAPA CLXXXIX. *Anno Christi* 1242.

INNOCENTIVS Papa, ejus nominis IV. Sinibaldus anteà vocatus, gente Fuscha natus, Comitum Lavaniæ, patriâ

triâ Genuensis, tandem Cardinalibus à Federico detentis in libertatem redactis Anagniæ Pontifex creatus, sedit annis XI. mens. VI. & diebus VI. vir quidem doctissimus, & animi virtute præstantissimus, cujus electionem eam ob causam Federico ingratam fuisse tradunt, quamvis amicissimus ante electionem fuisset, congratulabundus respondit, Bonum est Cardinalem amicum in acerrimum hostem Romanum Pontificem permutasse. Hic itaque Pontificatu inito Balduino Græcorum Imperatore interveniente de ineunda pace cum eodem Federico mentionem fecit: sed cum didicisset sibi ab eodem Federico insidias paratas esse, subito Genuam cum duabus triremibus & XX à suis concivibus missis profectus est, ubi magno omnium applausu susceptus, inde in Franciam navigavit, exceptusque summa omnium cum veneratione Lugdunum petiit, ibique Concilium celebravit anno scilicet 1249. in quo omnium consensu Federicum imperio & regio titulo privavit: propter quod Federicus ira percitus ædes villasque cognatorum Innocentii Papæ diripuit & evertit, inde majori rabie succensus ad arma conversus, Picenum, Vmbriamque ac cæteras provincias Ecclesiæ subdi-

ſubditas à Pontifice diſcedere fecit, ac Bononiam ſtudio privavit, quod Paduam tranſtulit: cumque tandem Federicus vitâ functus eſſet & ob ejus mortẽ bella in Italia plurimum extincta fuiſſent, Hedimundum Cantuarienſem Epiſcopum, & Petrum patriâ Veronenſem, ordinis prædicatorum, nuper ab hæreticis interfectum, ibidem in ſanctorum numero redegit: idem fecit de ſancto Straſlao Craco vienſi Epiſcopo, ab iniquo principe perempto, qui in vita & in morte miraculis multis claruit. Hujus itaque decretum fuit, ut Octava nativitatis virginis Mariæ ſingulis annis perpetuò celebraretur: Cardinalium ſedes jam pridem vacuas viris optimis replevit, quibus & mandavit, cum in publicum equitarent, rubro Galero uterentur, quod nunc uſque magnâ cum gloria ſervatum eſt. Denique cum Romam veniſſet, inde à proceribus regni Siciliæ vocatus Neapolim petiit, ubi benigniſſimè exceptus aliquamdiu ibidem moratus eſt: & dũ ſperaret ſe toto regno brevi potiturum, illic obiit, atq; ibidem in Baſilica beati Laurentii ſepultus eſt. hic itaque doctiſſimus vir inter cætera doctrinę ſuę monumenta apparatum ſuper Decretalibus edidit celeberrimũ, aliũ apparatũ compoſuit, quem autenticas vocavit: inſuper

Gymnaſium Patavii tranſtulit.

Petrus Veronenſis martyr.

Octava virginis Mariæ nativitatis inſtitutio.

ſuper

Scripsit contra Petrum Vineam.

super & jurisdictione Imperii, & auctoritate Pontificis Romani contra Petrum Vineam scripsit: quem librum apologeticum nominavit. Sororibus quoque sanctæ Claræ regulam composuit pulchram: quam ejusdem ordinis ultramontanæ sorores communiter servant: ordinem autem Heremitarum divi Augustini: & reliquos mendicantium ordines plurimum dilexit: & eos quidem Apostolicis favoribus & privilegiis ac multis beneficiis quoad vixit prosequi non destitit: ut ex eorum indultis optimè patet.

Hic composuit regulam sanctæ Claræ.

Papa CXC. *Anno Christi* 1245.

Alexander Papa, hujus nominis IV. natione Campanus patria Anagninus, Innocentio Pontifici hoc anno surrogatus sedit annis VI & mens. VI magni certè animi, magnique consilii vir, qui Manfredum Siciliæ regem & Ezelinum de Runcano, atque alios tyrannos nonnullas persequi ubique non extimuit: sed & inter Genuenses & Venetos lites componere non destitit: hic beatam Claram de Assisio beati Francisci discipulam in sanctas retulit: & libellos quosdam contra mendicantium pauperta-

pertatem editos abolevit: insuper & pauperibus quibusdam & præsertim religiosis de Christiana Religione bene meritis beneficus admodum & liberalis fuit: & propterea ex visione quâ beatum Augustinum vidit unionem fratrum Heremitarum, divi ipsius Augustini à prædecessore suo inchoatam ipse ardenter perfecit; ordinemque ipsum relicto Heremo urbes petere & incolere ubique coëgit, ut & ipsi doctrinæ verbo pariter & exemplo, nec non & confessionis audiendæ actu sicut & cæteri salutis fructum afferre possent. In eodem quippe statu ordinem ipsum confirmavit, quibus etiam una cum ordinibus Prædicatorũ & Minorum multa privilegia exceptionesque ac indulgentias contulit, quas certe mirâ benivolentiâ summaque devotione semper prosequi non destitit, & earundem religionem viris doctis admodum fovit, & ad Cardinalatus Episcopatusque dignitates multos provexit, sicut in Annalibus reperitur. Hic itaque cum tandem Viterbium concessisset, pacem inter Genuenses Venetosque compositurus cum ea in re diu vexaretur tædio animi, ut fertur mortuus est, & ibidem in Ecclesia sancti Laurentii honorificentissime sepelitur: quo mortuo sedes vacavit

Heremitæ beati Augustini.

menſ. IV. & diebus III. hic cum doctus egregie eſſet, nonnullas Decretales Epiſtolas compoſuit: atque alia aliqua perpulchra, quæ ingenium ejus oſtendunt, compilavit.

Papa CXCI. *Anno Chriſti 1262.*

Urbanus Papa IV. ejus nomininis, natione Gallus ex Teranenſi urbe natus, Alexandro Pontifici ſuffectus, ſedit annis III. menſ. I. & diebus IV. Hic etſi humili loco natus, præſtanti tamen & eleganti linguâ fuit: qui aliquando laceſſitus, quod vili patre ortus ,, eſſet, reſpondit: Nobilem virum non ,, naſci: ſed fieri, virtutis eſt atque nobi-,, litatis. Hic autem Pontificatu ſuſcepto è Galliis ſtatim milites convocavit, quos Manfredo Eccleſiæ ditionem vexanti objiceret: hic poſtea inſtituit ſolennitatem corporis Chriſti cum proceſſionibus & octavis à cunctis fidelibus celebrari, pro quibus & maximas conceſſit indulgentias, ejuſque officium ex veteris Teſtamenti figuris per divum Thomam Aquinatem cenſuit eſſe faciendum: multas enim hic Pontifex moleſtias ob Principum tyrannides & partialitatū factiones pertulit, quarum tædio Peruſii vitam cum mœrore exhalavit: cujus quidem corpus ibidem

Solennitatem corporis Chriſti inſtituit.

ibidem in Divi Laurentii Fano ſepultum fuit : ob cujus mortem ceſſavit Epiſcopatus menſ. v. Hic ordines mendicantium favoribus & privilegiis multum juvit.

PAPA CXCII. *Anno Chriſti* 1265.

CLEMENS Papa, hujus nominis IV. natione Narbonenſis, Guido Sulcadii antea vocatus, Vrbano pontifici ſurrogatus ſedit annis iij. menſ. ix. & diebus xxj. Hic primo juriſconſultus exiſtens totius Galliæ ſine contentione primatum tenuit, uxoremque habuit à qua etiam liberos ſuſcepit, quâ defunctâ, primo Podienſis, deinde Narboneus Epiſcopus promotus, poſtmodum Cardinalis factus; denique & propter doctrinam & ſanctitatem Peruſii abſens Pontifex delectus fuit: qui cum prophetiæ Spiritu plenus eſſet, multa prædixit antequam fierent, cujus operâ & induſtriâ pax inter Henricum Angliæ regem, & Simonem Montisfortis Comitem, ac inter Florentinos & Senenſes, cæteroſque Italiæ populos confecta eſt : quos etiam quoad vixit ſuâ auctoritate in propoſito continuit : atque Ednigem Poloniæ Duciſſam viduam miraculis claram in ſanctas retulit, reli-

quum vero vitæ ſuæ tempus in jejuniis, vigiliis & orationibus, aliiſque operibus bonis ſanctiſſime contrivit: quibus præſidiis adjutus pontificatum optime adminiſtravit. Moriens denique magno de ſe apud omnes relicto deſiderio Viterbii ſepelitur: quo mortuo cum dignum Cardinales eidem non invenirent ſucceſſorem maxima inter eos ſuborta eſt contentio, propter quod vacavit ſedes annis duobus.

Maxima contentio de eligendo Pontifice.

Papa CXCIII. *Anno Chriſti 1271.*

Gregorius Papa, hujus nominis X. natione Placentinus, ex Vice-Comitum vetuſtiſſima ac generoſa familia ex Mediolano noviter pulſa, Theobaldus antea vocatus, hoc anno poſt longam contentionē populi creatus: poſt Clementem Pontificem ſedit annis IV. menſ. 11. & diebus x. Vir certe omni vita probatus, prudens & clarus, rerum & animi fortitudine: quæ omnia continebat, ſcilicet humanitate, clementiâ & in Chriſti pauperes benignitate illuſtratus, quibus virtutibus ornatus, præter omnem Curiæ conſuetudinem ex Laudenſi Archidiacono à Cardinalibus in Conclavi conſtitutis, poſt longam contentionem creatus fuit

Ponti

Pontifex. Nam tum Viterbii ex Asiana peregrinatione advenerat. Vnde quidam ob hoc hos versus cecinit dicens:
Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Hunc patrem primum fecit discordia fratrum.
Hic itaque pontificatu suscepto, ut sanctos decet Pontifices pacis amator, & partialitatum omnino alienus: ad componendam pacē inter Genuenses & Venetos magnis inter se cladibus diu affectos statim animū adjecit: qua in re Philippi prædicti Francorum regis usus est prudentia: eaq; confecta Florentiam una cum Carolo Siciliæ Rege accessit, ubi & omne jus pugnandi ipsis Florentinis interdixit: deinde ad Lugd. Galliar. urbem pro celebrādo generali Concilio se contulit. Ad quod Pelagius Græc. Imperator profectus, jam tertia decima vice cum Romana Ecclesia unionem fecit: & quidem Tartari Principes consecuti sacrum baptisma acceperunt. Et Rudolphus Comes in Imperatorem ab Electoribus delectus fuit. Hic inter cætera doctis viris plurimum favit, quorum nonnullos ad Cardinalatum pervexit; & maxime Bonaventuram ordinis Minorum generalem ministrum, virum utique doctum ac multâ sanctitate insignem, & Othonem Vicecomitem affinem suum Mediolanensium creavit Archiepiscopum,

Tartari baptismum recipiunt.

Sanctus Bonaventura Presbyter Cardinalis

absolutoque Concilio, & redeuntem Alphonsus Castellæ rex apud Belledorum Pontificem ipsum convenit, conquestusque de imperio Rodulpho tradito, qui ut erat vir benignus & à Pontifice facillime placatus, jus omne Rodulpho concessit: transiens denique juxta Florentiæ mœnia rogatus interdictum tollere renuit, accedensque Aretium, ibidem diem obiit, cujus corpus floruisse miraculis compertum est.

Papa CXCIV. *Anno Christi* 1275.

Innocentius Papa, ejus nominis V. natione Burgundus, Petrus Parentasius ante vocatus, ex ordine prædicatorum insignis theologus, hoc anno Aretii Gregorio Pontifici suffectus, sedit mens. v. & diebus vii. qui pontificatu suscepto statim Florentinos ab interdicto Gregorii prædecessoris sui absolvit: quod tum Ethrusci pontificis jussu pacem confecissent: traxissetque & Genuenses ac Venetos dissidentes, qui de vita & sanguine solum decertabant, in suam sententiam, nisi repentina morte præoccupatus fuisset: erat enim hic pontifex preter doctrinam qua plurimum valebat, vir optimus, de quo multa bona sperabantur: mortuus denique

nique Romæ in Lateranensi Basilica sepelitur.

PAPA CXCV. *Anno Christi* 1275.

ADRIANUS Papa, hujus nominis V. natione Genuensis, Innocentii quarti Nepos, Otto bonus antea vocatus, prædicto Innocentio suffectus, sedit diebus XI. Vir certe magni animi, qui mox Viterbium accessit, ut Caroli potentiam, qui tunc Romæ erat, comminueret: quod certe fecisset, nisi mors obstitisset. Nam & Ecclesiæ ditionem ab eodem Carolo, aliisque tyrannis, tutiorem reddidisset, ac Gregorii constitutionem de pontifice eligendo, in meliorem redegisset formam. Obiit autem Viterbii, & in Conventu fratrum minorum sepultus fuit: vacavitq; sedes post dies XXVIII.

PAPA CXCVI. *Anno Christi* 1275.

IOANNES Papa XXII. ejus nominis, natione Portugalensis, Petrus Medicus antea vocatus, post Adrianum pontificem Viterbii ex Tusculano Episcopo pontifex factus, sedit mens. VIII. Vir & ipse admodum doctus, sed sine multa naturali prudentia, verbis tan-

tummodo promptus, sed in rebus agendis infractus & timidus; hac tamen commendatione dignus, quod inopes & beneficiis & pecuniis juvit. Hic Michaëlem Palæologum admonuit, nisi promissam servaret unionem Carolo regi imperium assignaret. Verum cum se victurum semper speraret, & sibi ipsi vitam polliceretur, idque omnibus prædicaret; ecce subito Viterbii dum in pretioso thalamo luderet, domus cadens, inter saxa obrutus interiit. Quo defuncto, vacavit sedes mens. v.

Papa CXCVII. *Anno Christi 1276.*

Nicolaus Papa, hujus nominis III. natione Romanus, ex illustri Ursinorum familia natus, Gajetanus antea vocatus; post Ioannem Pontificem tandem non sine magna patrumcontentione Pontifex creatus, sedit annis III. & mens. VIII. Magni certe consilii atque ingentis animi vir, sed & morum ac vitæ sanctitate integer, atque amator & cultor doctorum virorum. Quippe qui in partiendis dignitatibus & honoribus omnibus communis fuit. Cujus prudentiâ factum est, ut Flaminia tota cum Bononia & Ravennæ exarchatus, quæ Impera-

peratoribus diu suberant in Ecclesiæ Romanæ potestatem redactæ sunt. Sed & Senatorum munus, quod Principibus & Regibus Ecclesia demandare consueverat, ipse solus obivit. Ædificiis autem plurimis Romam exornavit: & inter cætera apud sanctum Petrum ædes percommodas & leporarium, quod viridarium vocant, muris altissimis cinxit; in quo & sæpius venationi se occupabat. Basilicas vero Petri & Pauli vetustate collabentes restituit, & quasdam ædes, in Laterano jam diu inchoatas, ipse perfecit. Ferunt eum religionis observantissimum fuisse, & divina sacrificia religiosissime & cum lachrymis, ut bonum decet Pontificem, persæpe sacrificasse: multaque ad Cleri populique Christiani pertinentia ipse constituit. Non caruit tamen in tantis laudibus reprehensione. quia suos, ut fit, nimium amavit: utpote quia Bertholdum suum nepotem Romaniolæ Comitē constituit: & alium nepotem Latinū Cardinalē in Ethruriā legatū misit, qui ubique Gibellinis restitutis, Florentiæ & alibi pro libitu magistratus Ecclesię imposuit. Proposuerat enim hic Pontifex duos reges ex domo Vrsina, unum in Ethruria, & alium in Lombardia creare. Sed dum hæc perficere cogitasset, in Sutrio oppido existens, apoplexiâ

correptus, tertio pontificatus sui anno interiit. Cujus corpus Romam delatum in Petri Basilica sepelitur: & post vacavit sedes mensibus v.

PAPA CXCVIII. *Anno Christi 1282.*

MARTINVS Papa, ejus nominis IV. natione Turonensis, Simon ante vocatus, post longam contentionem, Nicolao pontifici hoc anno Viterbii suffectus, sedit annis IV. & mens. I. vir optimus & sanctitate præcipuus. Qui pontificatu inito statim in die resurrectionis Domini, sex creavit Cardinales: Carolum Siciliæ regem ad se venientem ex Senatoria dignitate dejectum, in pristinum restituit statum, ejusque instantiâ Palæologum Græcum Imperatorem pacta Lugdunensis Concilii non servantem, & Petrum Arragonensem, contra jus fasque Siciliam insulam occupantem anathemate notavit, & ejus regnum in prædam illud occupare volentibus concessit. Bellum etiam in Flaminia contra Forlivianos ab Ecclesia deficientes gessit. Quos etiam brevi adjuvante Guidone Montisferrati in fidem recepit. Demũ multis vexatus curis Perusium profectus, ibidem moritur, & in majori civitati

vitatis Ecclesia sepelitur, ubi & multis claruit miraculis.

PAPA CXCIX. *Anno Christi 1284.*

HONORIVS Papa IV. ejus nominis, natione Romanus ex Sabellorum nobili domo ortus, Iacobus antea vocatus, Martino pontifici hoc anno suffectus, sedit annis 11. & mens. 1. Pontifex certe omni vita probatus, & Christianæ religionis amantissimus, magniq; consilii & prudentiæ vir, cujus tanta fuit prudentia, ut solus prope tanta videret, quam simul qui in urbe erant. hic egregias domos in monte Aventino, ubi ipse habitare oblectabatur, exstruxit, & multos ad id faciendũ invitavit, inde Petrum Arragonensem regem, qui Siciliæ regnum occupaverat anathemate notavit, & Martini prædecessoris sui interdicta contra ipsum Petrum regem confirmavit, nec non & in Guidonem Feltronum, Flamineam omnem contra jus fasq; vexantem, bellum movit, quem brevi superatum ipsam Provinciam Ecclesiæ restituit. Hic Carmelitanum Ordinem in Lateranensi Concilio non satis probatum, & à multis impugnatũ confirmavit, & multis privilegiis communivit. Quibus gestis non diu supervixit, *Hic confirmavit ordinem Carmelitanum.*

ſed ſecundo ſui Pontificatus anno moriens ex ſancta Sabina Aventini montis ad Baſilicam beati Petri delatus, ſepulchro marmoreo magnâ pompâ ſepelitur; & tunc vacavit ſedes menſ. x.

PAPA CC. *Anno Chriſti 1286.*

NICOLAUS Papa, hujus nominis IV. natione Picenus, ex civitate Eſculana, Hieronymus antea vocatus: ordinis Minorum profeſſus, poſt Honorium Pontificem, hoc anno ſuccedens, ſedit annis IV. & menſe uno. Vir quidem literarum divinarum humanarumq; egregie doctus: qui ſuper quarto ſententiarū ac aliis tribus multa edidit; ſed & in veteri ac novo Teſtamento tractatus compoſuit multos. Ac præter doctrinam multæ bonitatis ac integritatis Pontifex fuit, omnes pariter amando: qui non plura affinibus aut cognatis ſe debere, aut conferre quam aliis bonis arbitrabatur: & propterea ex omni fere religione viros optimos & doctos Cardinales creavit, & urbem Romanam pulcherrimis ædificiis exornavit: ſed præſertim apud ſanctam Mariam majorem, ubi ipſe habitavit, ipſius Baſilicam, una cū Iacobo Columna Cardinali reſtituit, ac etiam anteriorem & poſteriorem Latera-

teranensis Basilicæ partem instauravit. Hic multos milites in Asiã ad tuendam Ptolomaidam, proprio ære transmisit: aliosque plurimos cruce signatos mittere curavit. Denique cum urbem Romanam civilibus dissidiis agitari cerneret, & incendia cædesque plurimas perferre cerneret tædio animi, quod male sibi omnia cedere videret, quodque plus quam Pontificem decebat in unam partem declinaverat, mortem Romæ obiit. Quo mortuo, ut Cardinales electionem liberius facere possent, Perusiam migrarunt. Sepultus autem fuit apud sanctam Mariam majorem: at Cardinales in Conclavi constricti duobus annis & tribus mensibus in electione concordare nunquam potuerunt.

PAPA CCI. *Anno Christi 1290.*

CELESTINUS Papa, ejus nominis V. patriâ Exorinensis, Petrus Moronęus antea vocatus, professione Anachorita; hoc anno tandem absens in Perusina urbe, quasi per indignationẽ & derisum Pontifex pręter Nicolaum Pontificem creatus: sedit mensib. v. & die uno. Literarum quidẽ ignarus, sed sanctitatis eximiæ insignitus: quę res omnibus profecto admiranda fuit. Hic itaque cum

cum Caroli regis & Latini Cardinalis procuratione pontifex fuisset creatus. Confestim Aquilam de mente ipsius Caroli profectus est. Quo & Cardinales ad se vocavit, ibique consecratus statim XII novos Cardinales creavit, & ipse eo loci coronatus. Et in ejus coronatione ad ducenta hominum millia interfuisse referuntur. Quam multitudinem creditur fuisse notam, ut ex diu expectata electione & rei novitate simul ac sanctitate viri, quod homo Heremita ad tantum dignitatis fastigium non nisi divinitus profectus fuisset. Celestinus tamen propter hoc vitæ pristinæ austeritatem mutare noluit, sed cum experientia rerum careret, parum utilis Reipublicæ adjudicatus est. Ceptumque est de cessione tractare, quod cum Carolus rex audisset, pontificem amicum Neapolim secum duxit, multisque exhortationibus & modis conatus est ejus animum à cessione avertere. Adeo ut solenni pompa per Archiepiscopum ducta Clerus & Populus ab eo benedictionem expeteret, illique se commendaret, rogando ne bene gubernatam Ecclesiam suo regimine destrueret. Quibus benedictione data, responderi jussit, futurum esse, quod Deus pro salute populi, bene omnia disponere dignabitur. Benedictus au-

12. Cardinales creat.

autem Cajetanus, vir callidus, & jurium ſcientiâ peritiſſimus, multis canonibus Celeſtino Papæ oſtendit, quod graviter peccaret ſi ſe inſufficientem cernens ad obeundum pontificatum, non aliter cederet, conſtitutionemque promulgari meruit per quam declaratum eſt, licere pontifici Romano dignitatem dimittere. Ex quibus verbis & perſuaſionibus paulo poſt Celeſtinus Papatu ſe abdicavit, & Cardinalibus alterius ſurrogandi poteſtatem & arbitrium permiſit. Quamobrem Cardinales ſtatim Benedictum Cajetanum pontificem elegerunt. Celeſtinus vero dimiſſo Papatu, cum ad optatam Heremum rediret ſibi, ſubito à novo pontifice detinetur & captus in Fumonis arce recluditur, ubi & per tempus neceſſitate & dolore eum mori cogitur. Quem poſtea Clemens V. viſis ejus miraculis multis, in ſanctorum Confeſſorum numero aſcripſit. Cujus diei celebritas XIV. Kal. Iulii obſervatur.

Ecce calliditatem.

PAPA CCII. *Anno Chriſti 1291.*

BONIFACIUS Papa, hujus nominis VIII. natione Campanus, patriâ Anagninus, Benedictus antea vocatus, Neapoli in feſto ſanctæ Luciæ, idibus De-

Decembris anni præteriti pontifex creatus, sedit annis VIII. mens. IX. & diebus XVII. Vir certe callidus, ingratissimusque, qui sua ambitione sanctum Celestinum, magna iniquitate decepit: & pontificatu se abdicare quasi coëgit, ac perpetuo carcere damnavit. Dubitabat enim iste, ne deceptum senem aliquis Princeps eum ad Presulatum revocaret: Et propterea captum eum in carcerem reclusit: & ubi foret nunquam scire permisit. Ajunt enim hunc Bonifacium quendam hominem clanculum in cubiculo Celestini noctu misisse, qui voce quasi divina diceret: Celestinus si salvus vult fieri Pontificium munus omnino deponat; atque ita his artibus & fraudibus Bonifacius Pontificatum adeptus est. Suscepto igitur Pontificatu arrogantissimus homo omnes fere contemnere cœpit, & gratias à prædecessoribus suis factas, ut plurimum revocavit; discordiasque quam maxime interGuelfos &Gibellinos semper alere studuit; præsertim Genuenses & Venetos, quorum Gibelinam factionem mirifice & crudeliter ubique persequi non destitit. Ea propter Petrum & Iacobum Cardinales Columnenses, una cum Sarra eorum patruo viros insignes, ex odio Gibellinæ factionis indictâ calum-

lumnia Cardinalatus dignitate & beneficiis ac fundis paternis & Castellis, aliisque bonis & rebus privavit. Sicut habetur Extra de schismaticis libro VI. Ejus nempe ira omnibus Gibellinis implacabilis erat. Supradictis autem male gestis hoc unum laude dignum exegit opus, quod Evangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum, videlicet Gregorii, Augustini, Ambrosii & Hieronymi, solennitatē sub duplici officio celebrari præcepit, ut habetur Extra de reliquiis & veneratione Sanctorum lib. VI. c. Gloriosus Dominus. *Hic quatuor Doctorum festa ordinavit,*
Hic Ludovicum ex regia Francorū stirpe natum, apud Africam defunctum in sanctos Confessores merito retulit, & Villam Iponensem in novam erexit civitatem, eidem Episcopum assignans. Concilium generale habuit, in quo Philippum prædictum Francorum regem & Sarram cum omnibus Columnensibus anathemate notavit, ac Francorum regnum propter violatum jus Gentium Alberto Imperatori subjecit: qua ex re indignatus Philippus, cùm ejus superbiam domare cuperet Sarram Columnensem patruum prædicatorum Cardinalem à Bonifacio isto pulsum Romam cum ducentis equitibus è Massilia clam mittit: qui collectis undique amicis, Anagniam noctu ingressus,

gressus, adjuvantibus Gibellinis, quos ipse pontifex vexaverat, pontificem in paterna domo, & in quo genitus fuerat, cubiculo valvis vi refractis obstupentem propria manu cepit, direptisque ejus bonis, videlicet innumeris thesauris, Romam vinctum perduxit, ubi carceri mancipatus intra quartum & vigesimum diem violenta morte defecit, sepultusque in Basilica beati Petri sepulchro antea à se constructo. Fuit hic in utroque jure peritissimus, qui cum videret novas causarum varietates in foro contentioso, quæ per decreta non possent determinari, quotidie emergere, composuit per tres viros, sextum Decretalium, & Epistolas multas ad diversos: religiones omnes mendicantes privilegiis & immunitatibus mirum in modum adjuvit. Verum quum pro arbitrio animi potius ad terrorem quam ad amorem semper agere conatus est, ab omnibus arrogantissimus & improbus adjudicatus est. Unde de eo prophetatum fuerat: *Intravit ut Vulpes, vixit ut Leo, & mortuus est ut Canis.* Et mensurâ quam Celestino viro sancto mensuravit, sibi æqua lance remensa est. Sextum pontificii juris codicem hoc anno Bonifacius ipse ut præmissum est edidit, quem à tribus doctissimis viris ex quibusdam

dam

dam novis decretis à se editis compilari mandavit & publico edicto observari, & in publicis Gymnasiis legi debere mandavit, qui incipit: Sacro Romanæ.

PAPA CCIII. *Anno Christi 1300.*

BENEDICTUS Papa XI. hujus nominis, natione Tarvisinus, ordinis prædicatorum professor, Nicolaus antea vocatus, ipsius ordinis generalis magister, Bonifacio pontifici tandem suffectus, sedit mens. IX. Vir quidem bonus, & tanto magistratu certe dignissimus, cujus sanctitatem & miracula à se post mortem edita, optime declarant eum inter beatos censeri, & connumerari debere. Qui pontificatu inito, eos omnes sacris mysteriis statim abdicavit, quos autores esse constabat, ut Bonifacius prædecessor suus moreretur, regemque Franciæ ad pristinam dignitatem restituit, ac Ioannem & Iacobum de Columna Cardinales, tanquam injuste damnatos in gratiam recepit, eisque bona omnia Galero duntaxat rubeo excepto restituit. Quibus rebus hoc modo compositis Cardinalibus quibusdam creatis, & ad componendam Italiæ pacem animum adjecit, quod ut commodius efficeret, statim cum curia Perusium

ſium profectus eſt, ubi valetudinarius effectus rem deſtinatam omiſit: & nonis Iuniis diem ibidem obiit. Et maxima cum pompa in Eccleſia Ordinis ſui ſepultus fuit. Quo mortuo vacavit ſedes menſibus XI.

Papa CCIV. *Anno Christi 1302.*

Clemens Papa, hujus nominis V. natione Vaſconus, Bernardus Burgallenſis antea vocatus, patre Beleardo milite natus; Peruſii abſens poſt longam contentionem Pontifex creatus, ſedit annis VIII. menſ. X. & diebus XV. Qui in Galliis agens, & electioni conſentiens Lugdunum ex Burdegalliis ſe contulit. Ad quem vocati Cardinales ſine mora profecti ſunt. Quo proficiſcentes deinceps per LXXIV. annos ibidem curia
16. *Schiſma.* Romana cum maximo Chriſtianorum damno & incommodo detenta eſt. Ejus autem coronationi innumerabiles Gallorum populi cum Philippo rege & Carolo ejus fratre ac Ioanne Britanniæ duce interfuere. Qui Ioannes dux, dum pompa per urbem duceretur cujuſdam muri ruina cum multis oppreſſus fuit, & etiam Philippus rex debilitatus eſt, ac pontifex à turba preſſus vix mortis imperium evadere

dere potuit. Coronatus itaque plurimos ex Gallia creavit Cardinales; ex Italis autem nullum, nisi quod Ioannem & Iacobum Columnenses ad capellum restituit, indeque tres Cardinales cum Senatoria potestate Romam misit, quorum auspiciis ipsa Roma & Italia omnis gubernabatur. Postmodum ejus jussu Dulcini hæresis oppressa fuit, ac Templariorum religio penitus extincta; quorum bona militibus Rhodianis attributa fuerunt. Venetis præterea propter Ferrariam occupatam anathemate notatis etiam Sacramenta interdixit: itidem quoque in Florentinis & Lucensibus egit. Quam ob rem Florentini indignati omnem Clerum suæ ditionis gravissimis exactionibus gravare ceperunt. Cum autem ad componendum Ecclesiæ statum animum adjecisset, tria Concilia diversis temporibus & locis habuit: ubi multa prudenter & mature egit, ac constitutiones multas religiosorum virorum statum permaxime concernentes accuratissime ordinavit: in quibus etiam regulam beati Francisci declaravit. Ex quibus sane constitutionibus, Clementinarum liber postea confectus est, ubi etiam Celestinum Papam sub nomine Petri de Murano sanctis Confessoribus aggre-

Hic declaravit regulam sancti Francisci.

aggregavit. Demum variis ægritudinibus afflictus, anno pontificatus sui VIII mense X. moritur. Et ejus corpus in Vasconiam patriam suam defertur. Ubi in beatæ Mariæ de Ugesta Templo Diœcesis Vasconensis sepelitur: Et tunc sedes vacavit annis II. & mens. III. ac diebus XVII.

Papa CCV. *Anno Christi 1317.*

Ioannes Papa, ejus nominis XXIII. Episcopus Portuensis, Jacobus Cartucensis antea vocatus, hoc anno post longam altercationem à XXIII Cardinalibus apud Lugdunum in monasterio fratrum prædicatorum unanimiter electus, sedit annis XIX. mens. III. & diebus XXVII. Vir utique doctissimus, & multâ prudentiâ insignitus, ac doctorum virorum amantissimus, cujus pater Arnaldus de Ossa fuit, pontifex creatus nonis Septembris in Cathedrali Basilica pontificatus coronam accepit. Inde in Avinionem profectus octo Cardinales mox creavit, inter quos tantum duo Itali fuere, unus Ursinus, alter Columnensis, duosque viros defunctos in sanctorum Catalogo associavit, videlicet Thomam Herfordensem Episcopum, & Aquinatem

8. Cardinales creat.

Thomam Herford. Episcopum & Thomam

tem Thomam doctorem ordinis prædicatorum, deinde Tholosanam Ecclesiam ad Archiepiscopatus dignitatem retulit, & quasdam Diœcesis eidem asscripsit, Cæsaraugustanam erexit, assignatis sibi quinque Cathedralibus Ecclesiis. Grantidimontensem ordinem quorundã improborum factionibus labefactatum, in meliorem redegit formam, multosque hæreticos damnavit: & præsertim Glossulam quandam fratris Petri Ordinis minorum: qui conventum quendam tertii ordinis, ad imitandam Christi paupertatem animaverat, quorum de numero multi damnati exusti sunt. Anno autem XI. pontificatus sui, conventu habito Ludovicum Bavarum Ecclesiæ rebellem schismaticũ declaravit, & Guidonem Petramalam post occupatam civitatem Castelli sacerdotio & Episcopatu exautoravit: Coronamque à Diœcesi Arretina separavit & in civitatem erexit. Tandem anno ætatis suæ XC. Avinioni moriens, tantam in thesauris suis auri & argenti vim reliquit: quantam unquam nullus ante eum pontifex fecerit. Interrogatus hic aliquando qui foret à veritate remotus, respondit: Vulgi sententia; nam quicquid laudat, vituperio dignum est; quicquid cogitat, vanum, quicquid loquitur, falsum: quod improbat bonum,

Aquinat. canonizavit.

num, & quod approbat malum est, & quicquid extollit infame.

Papa CCVI. *Anno Christi* 1336.

Benedictus Papa, hujus nominis XII. patriâ Tholesanus: Cisterciensis ordinis professus, Iacobus antea vocatus: hoc anno ex Presbytero Cardinali Pontifex creatus, sedit annis VII. mens. III. & diebus XVII. Qui pontificatu inito, censuras in Bavarum fulminatas ut imperii usurpatorem juravit. Verumtamen postea veritus, ne imperio vacante ab aliquo externo hoste occuparetur; Accium & Luchinum Vice comites suos in Mediolano & in aliis urbibus quas possidebant vicarios constituit. Eandem potestatem Mastino Scaligero, ac aliis regulis tribuit: Senatuique & populo Romano per Legatum suasit, ut senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant: suis tandem auspiciis & Ecclesię administrarent. Hanc ob rem & Stephano Columnæ Senatoria dignitas ad quinquennium prorogata est. Hic autem Pontifex cum in Theologia & aliis per multis doctrinis & moribus omnibus insignitus esset, tantæ fuit constantiæ, ut nunquam à recto, vel vi vel pollicitationibus aut preci-

precibus dimoveri potuerit. Et ideo cum ſemel tantum in toto ſui pontificatus tempore ſacros ordines celebraverit; ubi ſex Cardinales presbyteros, viros egregios creavit; non ex ſuis, ut ſæpe fit, ſed undequaque ad ſe vocatos. Hic in Avinione Pontificias & quidem celebres ædes cum turribus & pomœriis ædificauit, ac Romæ beati Petri Baſilicæ tectum reſtitui fecit. Ejus autem tales fuerunt ſententiæ. Talis eſto filius, quales cognatos cupis habere. Malus mortem, bonus autem magis vitium formidat. Quæſita legendo ſerva: quæ neſcis legendo diſce. Æque turpe eſt carere amicis & eos ſæpe mutare. Optime conſervantur amici, ſi preces cogitant. Regi turpius eſt vinci beneficiis quam armis. Hic denique moriens & multam auri vim, non cognatis vel affinibus; ſed Eccleſiæ, ut bonum decet Pontificem, reliquit: quam ob rem in ejus morte omnes fere & preſentes & abſentes collachrymarunt.

Papa CCVII. *Anno Christi 1343.*

Clemens Papa VI. ejus nominis, patriâ Lemonicensis monachus, Petrus ante avocatus; hoc anno ex Rhotomagensi Archiepiscopo Benedicto pontifici surrogatus, sedit annis x. mens. vi. & diebus viii. perhumanus quidem, liberalisque ac multæ doctrinæ ac compositæ eloquentiæ vir: qui primo sui pontificatus anno, cum decem Cardinales creasset unum ex fratribus suis monachum & alterum ex sorore nepotem fecit. Postmodum jubileum, quem Bonifacius VIII. millesimo trecentesimo Domini nostri celebraverat, & de centenario in centenarium observandum declaraverat; ad quinquagenarium reduxit, qui est proprie Iubilei numerus. Inde ex depositione imperii Bavari universa Italia tumultuante Luchinum & Ioannem fratrem Archiepiscopum Vicecomites vicarios suos in Mediolano confirmavit: à cæteris autem abstinuit, cum Bavarus Tridentum petens, Italiam intraturus videretur: qui pari modo & ipse in multis terris Ecclesiæ vicarios imperiali auctoritate constituit; videlicet in Viterbio Ioannem de Vico urbis præfectum: Galeo-

Hic jubileum de centenario ad quinquagenarium reduxit.

Galeotum Malateſtam in Arrimino; Antonium Ferrentanum in Anchona: Gentilem Varaneum Camerini: Guidonem Pollentanum Ravennæ, Franciſcum Ordelaphum Forlivii Ceſenæ, & Ioannem Manfredum Faventiæ & Imolæ: atque alios per diverſa latinæ Provinciæ loca. Clemens autem Pontifex quoſdam Cardinales ex Avinione Romam miſit: qui ſtatum urbis componentes, ſeditionibus ſublatis, Petrum Sarram Columnenſem & Ioannem Vrſi filium, Senatores declararunt; ac Nicolaum Publicum ſcribam civem Romanum, qui ſtatum urbis in ſuam redegerat poteſtatem, & ſeipſum Tribunum conſtituerat; ceperunt, & in vincula conjecerunt. Quapropter timens Pontifex, ne Italia tota flammâ & ferro vaſtaretur; Bononiam ſtatim Vicecomitibus hac lege conceſſit; ut duodecim millia nummûm auri ſingulis annis Eccleſiæ Romanæ perſolverent; & pacem inter omnes conſtituerent. Denique cum Barbari & Mauri infideles, utramque Hiſpaniam & Germaniam lacerarent; Clemens hic Pontifex ad gerendum bellum contra eos Principes Chriſtianos compulit: qui contra hoſtes ſæpe & feliciter pugnaverunt, multiſque eorum cæſis, innumerabiles triumphos egerunt.

 runt.

runt. Indeque cum fœdus inter Eduardum Anglorum regem & Philippum similiter Francorum regem componere attentasset, frustra elaboravit. Postremo in omnibus boni pastoris officio functus, anno Domini 1352. Avinione moritur: & à Cardinalibus, adhibitâ honestâ funeris pompâ, ibidem sepelitur. Hic itaque optimus Pontifex, cum esset eruditissimus vir& secularium literarum non ignarus, ac Iuris Pontificii Doctor insignis,& declamator verbi divini famosissimus: Edidit quædam opuscula non indocta: in quibus sui ingenii vivacitatem ostendit: è quibus ista sunt. Sermones varii lib. 1. in approbatione Caroli Regis lib. 1. collationes multæ lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. In canonizatione sancti Ivonis Confessoris lib. 1. incipit exulta & lauda habitatio.

Papa CCVIII. *Anno Christi 1353.*

Innocentius Papa, ejus nominis VI. patriâ Lemonicensis, Stephanus antea vocatus: Iuris utriusque Doctor, hoc anno in Kalendis Decembris Clementi Pontifici surrogatus, sedit annis x. Integerrimæ vitæ, magnæque constantiæ ac severitatis ir, qui

Ecclesiastica beneficia, non nisi religiosissimis viris, & quidem doctis unquam concedere voluit: qui inito Pontificatu statim, sub anathematis pœna omnibus Episcopis & reliquis Prælatis mandavit, ut ad sua beneficia proficiscerentur: ipse autem ut cæteris esset exemplo confestim impensam domesticam minuit & familiam suam virorum videlicet probatissimorum ad honestum numerum redigens: & ut id Cardinales efficerent, edicto acerrimo mandavit: auditoribus præterea sacri palatii salaria constituit, ne muneribus corrumpi ob inopiam possent. Hic in victu suo parcus fuit: sed in bellico sumptu largissimus habitus est. Hujus autem suasione & prudentia inter Genuenses & Venetos deniq; fœdus initum est, multaque Ecclesiæ oppida & loca à Tyrannis jam diu occupata, per Ægidium Legatum suum repetiit, ac inter Pisanos & Florentinos Pacem composuit; atque tumultuante Romana urbe in creandis Senatoribus eorum discordiam optime sedavit, atque ab iisdem obtinuit, ut Senatorem ipse externum mittere posset. Et quinquagesimo nono anno salutis nostræ supra millesimum trecentesimum Raymundum de gente Picolomea Senensem primum externorum Sena-

Optimus Pontifex.

torem Romam misit, qui per annum senatorium munus gessit: & post eum Ludovicum de Rotha, & Hungarum Saxoferratensem, qui semestrem uterque senatum habuit: post eos Thomam Spoletanum, qui solus per annum gessit. Ad cujus anni finem exorto tumultu creati sunt septem reipublicæ reformatores, qui senatus potestatem gesserunt. Ad quos deponendos Hugonem Lusignanum Cypri regem ab expeditione in Mauros ducta reversum Senatorem misit: & post eum Paulus Argenti comes, Capelli Spoletani Senatorem gessit. Constituerat quoque Classem majorem in infideles mittere: sed multis animi perturbationibus afflictus destitit: quibus malis anno pontificatus sui decimo mortuus est, & in Monasterio Divi Andreæ Cartusiensium ordinis, quod extra Avinionem ipse, propriis impensis extruxerat & dotaverat; sepultus est.

Papa CCIX. *Anno Christi 1363.*

Urbanus Papa ejus nominis V. patria Lemonicensis, Monachus Sancti Benedicti, Gulielmus antea vocatus, sanctique Victoris apud Massiliam Abbas: tunc ad Vicecomites in

in Italiam Legatus degens, Innocentio Pontifici hoc anno suffectus sedit annis VIII. & mens. V. Decretorum Doctor, & singularis virtutis ac vitæ sanctissimæ Vir; qui Pontificatu suscepto, ad tuendam libertatem Ecclesiasticam & ipse animum adjecit; & Ægidium Hispanum, sicut dictum est iterato cum maxima auctoritate Legatum in Italiam misit, qui Bernabovem Vicecomitem devicit, & omnia in pacem redegit. Quibus gestis, ipse Pontifex quarto pontificatus sui anno Romam venit, ubi & multas ædes tum ibi, tumque Viterbii & Montiflasconæ construxit: ibidem etiam Apostolorum capita diu quæsita tandem apud sanctam sanctorum invenit: & locellis argenteis condens in Lateranensi Basilica apud ipsius altare majus cum magna veneratione præsente populo, collocavit: Desierant enim in honore esse propter hominum ignorantiam: crucem etiam contra Turcos prędicari jussit. Ad hunc etiam Beata Brigida Suetiæ Principissa à Christo præmonita Romam venit: cui regulam ab ea cęptam confirmavit: insuper & Ioannem Hancuth è Roma recessurus Anglicis copiis tandem præfecit, quas scilicet Ægidius Legatus in Italia conservaverat, & cum Bononiæ sub Legato

Romandiolæ reliquit: & his gestis cum in Gallias reversurus esset, apud Massiliam defecit.

Papa CCX. *Anno Christi 1371.*

Gregorius Papa XI. hujus nominis, natione Lemonicensis, Petrus Bel Fortis antea vocatus: sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis, hoc anno Vrbano Pontifici suffectus, sedit annis VIII. Hic Clementis ex fratre nepos fuit, vir certe multæ innocentiæ & placabilitatis, quibus ex virtutibus ab omnibus plurimum dilectus fuit. Qui Pontificatu inito statim Legatum in Italiam misit, ut res Ecclesiasticas recenseret: inita autem cum Berna-Bove Vicecomite pace, omnia in perturbatione fuere. Erant omnes enim præter Venetos Vicecomitibus inimici; propter quod multa mala surrexere. Cum autem Pontifex hic ea mala quæ in Italia gerebantur suæ absentiæ adscriberet, de reditu suo in Italiam cogitare cœpit. Moverant etiam eum cujusdam Episcopi verba, cui cum Gregorius quâdam confidentiâ familiari diceret, quare ad Ecclesiam tuam Episcope non vadis? Ille intrepidus respondit: cur, inquit, summe Pontifex cæteris

teris exempla daturus, & tuum Episcopatum, & tuam Romanam Ecclesiam non repetis? Quibus verbis Pontifex permotus statim in Rhodano fluvio, paratis una & viginti triremibus, aliam rem simulans profectionem aggressus, Genuam primo, deinde Cornetum: postremoque Romam terrestri itinere Ianuario mense pervenit anno videlicet 1376. Pontificatus sui anno VI, Migrationis autem Romanæ Ecclesiæ in Galliis lxx. Quo autem apparatu, quaque incredibili populi Romani lætitia susceptus fuerit, dicere non attinet. Omnia quippe ea in urbe regia suo indigebant adventu. Mœnia quippe urbis & Ecclesiæ fere omnes, ac privata ædificia, ubique ruinam minitantia, ipse magna ex parte postea restituit. Non dico de moribus & urbanitatibus ubiq; certe labefactatis: urbs enim quæ olim universum mundum ad urbanitatē reduxerat, absente Pontifice, ad maximam morum rusticitatem pervenerat. Collocata itaque in urbe sede, Gregorius, sicut bonum decebat Pastorē, omnia circumspicere cœpit: de medelaque vulneribus inferenda cogitans pacem in primis pernecessariam per Legatos expetere, & inter omnes componere cœpit: verum Florentini Pontificis potentiam despectui habentes,

ejus pacem rejecere, & nullum injuriæ genus prætermisere, quod in Pontificem transferri posset, quibusmodis permotus Pontifex Florentinis anathemate notatis omnia interdixit: sed Florentini omnia contempsere; & Sacerdotes in urbe contra jus fasque celebrare coëgerunt. Tum vero Pontifex à precibus ad arma conversus, conciliatis prius omnibus aliis contra ipsos Florentinos bellum movit. Tandem vero cum omnia accurate egisset quæ ad Pontificem pertinerent, viij. Pontificatus sui anno, v. Kal. Aprilis intolerabili vesicæ dolore migravit ad Dominum, & apud sanctam Mariam viæ novæ, novo sepulchro, cum ingenti omnium gemitu & luctu sepultus est. Eâdem enim mortis suæ horâ in Avinionensi pallatio ignis accensus est: nec extingui unquam potuit quo ad usque duæ ejus partes exustæ fuerunt: quo autem auctore incensum fuerit ignoratur. Eo autem sublato magnum schisma, & ingens patrum calamitas atque discordia, qualis ab initio pontificatus ulli Pontifici, subsecuta est.

Florentini Pontificem parvipendunt.

Avinionense Palatium conflagratur.

PAPA

PAPA CCXI. *Anno Christi* 1379.

VRBANUS Papa VI. hujus nominis, natione Neapolitanus hoc anno ex Barensi Archiepiscopo Gregorio Pontifici suffectus, sedit annis XI. & mens. VIII. Vir quidem callidus, & injuriarum memor atque vindex: qui Pontificatu suscepto, ut par erat, non pacem inter Christianos componere voluit; sed magis Cardinalium & Ioannæ reginæ injurias ulcisci conatus est: propter quod Florentinos anathemate notatos, ut in suam reduceret sententiam absolvit: qui scilicet Ioannem Ancuth Gallum suarum copiarum Ducem Neapolim contra Ioannam reginam misit. Inde cum naturâ inquietus esset, atque omnino inhumanus; apud Nuceriam quosdam Cardinales creans, septem ex veteribus in carcerem conjecit, dicens; eos contra ipsum pro Antipapa Clemente conjurasse: è quibus quinque cum Genuam proficisceretur, in mari demersit. Eo quippe ob timorem Caroli Apuliæ regis accesserat: hominem enim illum ob minus juste postulata ad injuriam compulerat. Cumque ibidem ad Caroli ipsius obitum permansisset, tandem Romam reversus est: *Vindicativus Papa.*

ibique confirmatis Ecclesiæ civitatibus, inde etiam Neapolim accessit: ubi & Ladislai Caroli puerum ac Ioannam ejus sororem, â prima hæreditate perturbare annixus est: sed re infecta Romam rediens, cum magno apparatu & honore à civibus exceptus est: ubi ad quasdam insidias devitandas xxix. Cardinales, uno die creavit: in quibus major pars Neapolitanorum fuit; tres vero fuere Romani: quibus creatis paucos supervixit dies, Mortuus denique Romæ in Basilica beati Petri sepelitur, paucis tanquam rusticum & inhumanum flentibus.

Cardinales xxix. uno die creat.

Papa CCXII. *Anno Christi* 1390.

Bonifacius Papa, hujus nominis IX. natione Neapolitanus, Petrus Thomacellus antea vocatus: Urbano Pontifici hoc anno surrogatus, sedit annis xiv. & mens. xi. Hunc dum Pontificatus munus suscepit, xxxiv. ætatis annorum fuisse tradunt, Sed juventutem suam omnibus in rebus, totoque Pontificatu suo cum senectute permutasse visus est. Etsi scientiæ minus peritus esset: bonæ tamen conditionis, magnæque prudentiæ, maximi tum animi, tumque consilii Pontifex fuit. Primus enim vim omnem populi Romani in Pontificem trans-

34. annorum ætatis erat.

transtulit: creatis suo nutu Magistratibus, & munitis urbis fortilitiis: inde decimo sui pontificatus anno ex Assisio ubi multis annis commoratus fuerat: Romam ingressus jubileum celebravit: ac post cupidus augendæ Ecclesiasticæ dignitatis: primus Ecclesiasticis beneficiis Anatharum usum imposuit: hac scilicet conditione, ut qui beneficium consequeretur dimidii anni proventus Apostolicæ Cameræ persolveret. Ladislaum præterea adolescentem in paterno regno collocavit: & per Cardinalem Florentinum apud Cajetam coronari fecit: quo in regno confirmato plurima ædificia in Adriani mole, & in capitolio, nec non & in Vaticano Palatio fieri fecit. Brigidam etiam Suetiæ principem virginem clarissimam sanctarum catalogo ascripsit, quæ suo tempore ad Dominum migraverat: studium generale Ferrariæ ditionis suæ Civitati, rogatu Alberti Estensis Marchionis concessit. Verum hic propter rerum perturbationes, multasque animi afflictiones & quidem graves pertulit: unde etiam laterum dolore persæpe afflictus, tandem vitam cum morte mutavit. Cujus corpus apud sanctum Petrum in sepulchro marmoreo sepultum fuit. Huic certe ad summam gloriam nil defuit,

Anatharum primus usus.

Brigidam virginem canonisavit.

Studium generale Ferrariæ conceditur.

fuit, nisi quod nimium cognatis & affinibus suis in dandis beneficiis, per fas & nefas; atque inde certis indulgentiis assentiens, magnæ infamiæ notam sibi conquisivit.

Papa CCXIII. *Anno Christi 1405.*

Clemens Papa VII, hujus nominis, natione Gibelinus, Robertus antea vocatus: ex Presbytero Cardinali creatus Pontifex, qui pridem legatus in Italiam missus fuerat, cui & Clementi VII. indita est appellatio, ac sic per orbem litteris disseminata: hanc scilicet veram Pontificis electionem, Clementemque verum & indubitatum Christi vicarium: ubi vera fuerunt suffragia: quia coacti à populo Romano Italum potius quàm Gallum delegerant. Et hic maximæ discordiæ, magnumque schisma in Ecclesia Dei oriri cœpit; ut duo in ea dicerentur capita. Urbano autem principum Christianorum pars, & pars Clementi favere cœpit. Italia enim cum Germania & Pannonia Urbano: Clementi vero Gallia, Hispania, Cathelonia & Britannia adhæserunt. Cardinales autem Galli his gestis, multas villas, oppida, ac urbes diripuere, & occupare statim

17. Schisma.

cepe-

ceperunt. Clemens post multas datas acceptasque clades, in Galliam tandem cum sua curia profectus est: ubi apud Avinionem, ut hactenus Pontificum moris erat, sedem constituens, verus Pontifex à Gallis omnibus veneratus est; sedit autem annis XV.

PAPA CCXIV. *Anno Christi 1420.*

BENEDICTUS Papa adulterinus hujus nominis XIII. hoc anno Clementi Pontifici apud Avinionem in Schismate suffectus, sedit annis XXI. videlicet usque ad Concilium Constantiense, qui Petrus Luna antea vocatus fuit. Cum autem Benedictus Papa apud Catheloniam in Castello Paniscòle munitissimo se contineret, seque verum Christi vicarium pertinaciter assereret; tandem auctoritate Concilii rursus improbatus est. Sic de eligendo novo Pontifice sermo inter omnes habitus est. Unde & Concilii & Sigismundi Imperatoris, qui semper Concilio aderat, decreto statutum fuit, ut unaquæque natio sex probatos viros & Deum timentes deligeret: qui una cum Dominis Cardinalibus Pontificem eligerent: qui conclave ingressi prȩter omnem spem, licet multi schismatici

18. *Schisma.*

tici conclavi interessent unanimiter Othonem Columnam Romanum Diaconum Cardinalem III. Idus Novembris, in Festo beati Martini horâ tertiâ, Pontificem creaverunt, & Martinum Quintum appellaverunt; tantaque inter omnes lætitia fuit & exultatio, ut vix homines loqui possent. His gestis cum per annum etiam ibidem Concilium perstetisset, & multa ad Christianam religionem necessaria decreta fuissent: tandem anno Domini 1418. Concilium Pontificis Imperatorisq; jussu dissolutum fuit, & omnes cum pace abiere.

Martinus V.

Papa CCXV. *Anno Christi 1404.*

Innocentius Papa, VII. hujus nominis, patriâ Sulmonensis: Cosmatus antea vocatus: hoc anno Bonifacio in Italia surrogatus, sedit annis II. Vir quidem grandævus, & multarum magnarumque rerum experientia instructus. Cujus verbum erat: Oportere illum malum hominem „ esse, qui alienum plus quam sui ip- „ sius testimonium formidaret. Qui Pontificatu suscepto in quibusdam rebus Vrbani & Bonifacii predecessorum suorum vestigia secutus est, quos privatus reprehendebat: & non modo tanto-

pere

pere laudantes carpsit; verum etiam iniquo animo ferebat, si quis apud se ea de re loqueretur. Præterea omnia ita tumultuose gubernabat; ut cum Romani instarent, quod schisma de Ecclesia tolleret: ipsos confestim ad Ludovicum nepotem tanquam ad certum carnificem miserit, qui statim XI. ex ipsis è fenestris dejici & enecari fecit. Quâ sævitiâ permotus populus Romanus, accito Ladislao rege, arma adversus hunc Pontificem suscepit: qui statim una cum Ludovico ipso nepote Viterbium fugit: cumque populus Romanus in actorem sceleris desævire non posset, in aulicos omnem iram convertens multos eorum interfecit. Verum Capitolio & ponte Milvio occupatis, ac multis cædibus & direptionibus peractis; ira jam declinante, Romani Pontificem in gratiam receperunt, rogaruntque ut ad urbem cum pace redire dignaretur. Qui cum Romam venisset, nonnullos Cardinales creavit: quorum de numero Angelus Corrarius, Patritius Venetus, unus fuit; qui postea Gregorius XII. appellatus fuit: & Petrus Filargi Cretensis, Alexander Quintus postea vocatus: tertius vero Otho Columna, Martinus V. postea dictus: creavit etiam Ludovicum prædictum

Nepos Papæ XI. Romanos interfecit.

Papa timore Viterbium fugit cum nepote.

dictum Nepotem suum, agri Piceni postea Marchionem eumque Firmanum Principem constituit. Quibus ita gestis non diu supervixit: sed secundo sui Pontificatus anno Romæ defecit, & in Basilica beati Petri sepultus fuit.

Papa CCXVI. *Anno Christi 1407.*

Gregorius Papa XII. hujus nominis, natione Venetus Angelus Corrarius antea vocatus, Patriarcha Constantinopolitanus, hoc anno ex Cardinali sancti Marci Innocentio Pontifici suffectus, sedit annis II. & mens. VII. Pontifex quidem magnæ sanctitatis & gravitatis, præcipuæ reverendus; qui Pontificatu suscepto juxta obligationem factam iterato ad deponendum Pontificatum se obligavit, si Benedictus, qui alterum Pontificatum in Gallia tenebat, se quoque abdicaret. Cohortantes igitur in principio sese prædicti Pontifices, & ad mutuam abdicationem offerentes, Saonam urbem maritimam, ubi convenirent elegerunt: sed in conveniendo se ad invicem illudentes maxima Christianorum vexatione majorem divisionem concitaverunt. Quapropter ingens Concilium Pisis celebratum est: in quo Gre-

gorius

gorius hic & Benedictus Pontifices de collusione accusati, ambo Pontificatu privati sunt, & Alexander Cretensis eligitur. Quo Pontifice creato, Gregorius hic quasi profugus Ariminum statim concessit, ubi & à Carolo Malatesta urbis Principe perbenigne exceptus est: qui licet in Pisano Concilio exautoratus esset; attamen tanquam verus Pontifex, dum Lucæ moram faceret, ex patrum Cardinalium consensu, qui nondum ab eo discesserant, Gabrielem Condelmarium ex sorore nepotem creavit Cardinalem; qui postea Pontifex factus Eugenius IV. appellatus est. Hic tandem ad Constantiense Concilium Carolo Malatesta Oratore misso, Pontificatu se libere abdicavit; pro qua libera abdicatione conventus omnis eum agri Piceni Legatum creavit: sed non multo post Recanati animi dolore defecit, ubi & honorifice conditus est,

Alexander Cretensis eligitur Pontifex.

PAPA CCXVII. *Anno Christi 1409.*

ALEXANDER Papa V. hujus nominis, natione Cretensis, Petrus Candianus antea vocatus: ordinis Minorum, Doctor Clarissimus, de quo supra

supra diximus: hoc anno in Concilio Pisano, Gregorio & Benedicto Boldrino Pontificibus abrogatis; omnium Cardinalium consensu, qui tum aderant, in eodem Concilio Pontifex creatus, sedit mensibus VIII. Eo autem Pontifice creato Gregorius, ut dictum est ad Carolum Malatestam, una cum Leonardo Aretino, Ariminum accessit. Benedictus vero in Galliis post habitum Concilium in Castellum Paniscolæ confugit, ubi diutius immoratus etiam aliquos Cardinales creavit. Alexander autem hic factus Pontifex, ut erat vir optimus Ecclesiam Dei pro posse in pace continere studuit; & merito quidem Alexander fuit appellatus, quod & liberalitate & animi magnitudine omni quãvis optimo Pontifici conferri potuisset: munificus etenim & quàm maxime in pauperes, ut Pontificem decet, fuit: & adeo munificus, profusus exstitit, ut demum pauperrimus decesserit: unde & per jocum ipsum dixisse tradunt: se divitem Pontificem fuisse, pauperemque Cardinalem & mendicum Papam: & propterea cum nil terrenum expeteret: tanto fuit animo, ut Ladislaum regem potentissimum qui Ecclesiam & ejus ditionem diu vexaret, in Concilio Pisano, approbantibus patribus qui

Vide optimam Pontificis integritatem.

qui tunc aderant, regno privaverit. Soluto itaque Concilio, Alexander Bononiam profectus est: ubi morbo contracto, cum ad extremam horam venisset; convocatis omnibus Cardinalibus, eos omnes ad pacem & ad concordiam, & ad tuendam Ecclesiam, dulcissimis verbis adhortatur. Quibus expletis, lachrymantibus omnibus qui aderant; illud Salvatoris nostri ægre proferens, inquit: pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis: & statim emisit Spiritum: & ibidem cum ingenti luctu & pompa in conventu Minorum sepelitur.

PAPA CCXVIII. *An. Christi 1410.*

IOANNES Papa XXIV. hujus nominis, natione Neapolitanus, Baldasar Cossa antea vocatus, hoc anno Alexandro prædicto Pontifice mortuo, Bononiæ Pontifex creatus, sedit annis IV. & mens. X. Hunc nonnulli ferunt Pontificum munus potius violenter usurpasse, quam liberis suffragiis assumsisse. Cum enim Bononiæ potius ut Dominus quam Legatus esset, magnoque exercitui imperaret: & Patres pro novo Pontifice deligendo ibidem convenissent; multa eis interminatus est, *19. Schisma.*

nisi

nisi Pontificem sibi gratum elegissent: & eâ causâ multi perducti fuerunt, quorum neminem approbare voluit. Cum autem obsecraretur ut quem vellet significare di naretur: date, inquit, mihi Petri chlamidem; & ego eam dabo Pontifici futuro: quod cum factum fuisset, ille pallium suis humeris imponens: Papa, ait, sum ego, Quæ res, quamvis patribus displicuisset: forte tamen s ntentiam abscondi consultius fuit: hominem videlicet terribilem atque armatum territare non videbatur utile. Hac igitur arte Baldasar Cossa, ut ajunt, Pontificatum obtinuit. Erat autem hic Pontificii ac Civilis jurium peritissimus; & rerum gerendarum experientia, magis quam vitæ sanctimoniâ præditus: qui inito Pontificatu dies aliquot Bononiæ substitit, & postmodum Romam profectus est: ubi contra Ladislaum regem ditionem Ecclesiæ vexantem, Paulum Ursinum & Sfortiam Attendulum, militari peritiâ viros præstantes conscripsit: quorum virtute post diuturnum variumque conflictum Ladislaum profligavit. Verum sequenti anno Ladislaus viribus reassumptis iterato Papam bello vexare cœpit: ea propter Pontifex timore correptus Florentiam primo, postmodum Bononiam

Vide Pontificis astutiam.

Papatum hic violenter quasi accepit.

Ladislaum regem profligat.

noniam venit : & non ita multo poſt Mantuam ad Ioannem Franciſcum Gonzagam profectus eſt : ibidem & Mantuæ & Cremonæ cum Sigiſmundo Cæſare & Gabrino Fundulo, de pellendo Ladiſlao rege; qui Romam & multa Eccleſiæ oppida occupaverat, conventum habuit.

Cremonam Pontifex venit.

Et dum hæc Mantuæ agerentur, Ioannes Pontifex ad Concilium Conſtantiæ, omnium nationum conſenſu citatur; ubi multa ei enormia crimina à multis objecta ſunt, qui timens ſtatim mutato habitu familiâq; clanculum Conſtantiâ aufugit. quo audito è veſtigio, miſſis militibus comprehenſus, in inſulam ſancti Marci prope Conſtantiam in carceribus conjectus eſt : eoque incarcerato Concilium viros graviſſimos doctoſque judices delegit, qui fugæ cauſam diligenter inquirerent, & crimina objecta diſcuterent, eademque ex ordine referrent,

Ad Concilium Conſtantiæ citatur.

Quare contra ipſum 40. & eo amplius capitula contra fidem Chriſtianam in eo probata & adjudicata fuerunt : quibus criminibus Ioannes hic merito Pontificatu ab univerſo Concilio dejectus eſt : & hanc quidem ſententiam in ſe latam ipſe ſui ſceleris conſcius affirmavit & comprobavit: pro qua re ex concilii decreto ſtatim ad Ludovicum Bavariæ Ducem cuſto-

40. capitula contra Papam objecta.

custodiendus missus fuit, donec aliud de ipso decerneretur; qui in Aldeberga Castello munitissimo per triennium eum conservavit. Tandem eo in Concilio Martinus Pontifex surrogatus, dum apud Florentiam existeret, & rogaretur à Cosmo Medico cive Florentino, Baldasarem ipsum è carceribus liberavit: qui statim præter spem omnibus admirantibus ad Martinum ipsum Florentiam venit: & ejus exosculato pede, ut verum Christi vicarium recognovit & salutavit. Martinus autem eâ humilitate permotus post aliquot dies ipsum in numerũ Cardinalium asciscens eum Tusculanũ creavit; quem postea eo honore habuit, quo reliquos Cardinales. Verum post aliquot menses animi dolore, ut credi possit Florentiæ defecit; ubi & à Cosmo Medico amantissimo suo honorificentissimo sepulchro in divi Ioannis Baptistæ Templo, magnâ adhibitâ funeris pompâ sepultus est.

Papa CCXIX. *Anno Christi 1415.*

Martinus Papa V. ejus nominis patriâ Romanus, ex illustri amilia Columniensium natus; hoc anno in

in celebritate sancti Martini Episcopi ex Cardinali Diacono in Constantiensi Concilio omnium Nationum & Cardinalium consensu Pontifex creatus, sedit annis XIV. & mens. III. Iuris Pontificii peritissimus, & in omni vita integerrimus Vir: ob cujus integritatem & doctrinam ac bonitatem atque moderationem ex XXXIII. Cardinalibus prælectus fuit. Qui in Pontificatu constitutus, non somno aut otio; sed negocio & sollicitudini deditus; omnia ad rem Pontificiam pertinentia miro perfecit modo: cujus sermo cum brevis esset, plenus sententiis in lucem semper deducebatur. Veruntamen in rebus agendis adeo promptus erat, ut res factas prius homines cernerent, quam ab eo excogitatas putarent. Tali namque Pontifice indigebat Ecclesia Dei, qui Petri naviculam schismatis & seditionum fluctibus diu acriter quassatam redigere in portum salutis sciret & posset. Hic igitur Pontifex creatus & factus, eo in Constantiensi Concilio etiam per annum perstitit Reipublicæ Christianæ componendæ causa: sed rebus omnibus optime dispositis, absolutoq; Concilio in Italiam per Sabaudiam venit. Dum autem Alpes transisset, & in Italiam descendisset, Provanorum in Pe-

 demon-

Provanam familiam Columnensem fecit.

demontium vetustam & clarissimam familiam ob virorum ipsius præstantiam atque urbanitatem, primo in suam Columnensium familiam copulavit; atque ipsius insigne eidem familiæ ob ipsius benemeritum gerendum concessit. Indeque abiens Mediolanum pervenit, ubi à Philippo Maria Duce ejusque populo perbenigne magnificentissimeque exceptus : ibidem sacristiam majoris Templi consecrans multas indulgentias concessit.

Indulgentias Mediolanensibus concessit.

Brixiam quoque vadens à Pandulpho Malatesta principe non inferiori exceptus fuit gloria: ubi inter Ducem prædictum & Pandulphum ipsum hac lege pacis fœdera percussit, ut Pandulphus ipse quotannis tributo duci persoluto tamdiu Brixia potiretur, quoad ei vivere liceret; quam tamen pacem Pandulphus haud multo post disturbavit. Inde quoque digrediens per fines Mantuanorum, Ferrariensiumque ac Ravennatum, Florentiam tandem pervenit: ubi biennio subsistens omnem Ecclesiæ rem, tam in temporalibus quam in spiritualibus peroptime composuit.

Florentiæ per biennium stetit.

Quum Ecclesia ipsa propter longum schisma omnem pene temporalem ditionem perdiderat, quam ibidem commorante Martino in suam redegit potestatem. Compositis itaque ex sen-

tentia

tentia rebus, Martinus cum bona Florentini populi gratiâ discessurus; civitatem Metropolitano honore exornavit, eique Volaterranam, Pistoriensem & Fesulanam, Ecclesias subjecit. Abiens itaque Florentiâ Romam tandem desideratus pervenit, universa urbe eidem obviam effusa: quæ hominem non secus ac omnium parentem expectabat. Vrbem igitur Romanam Pontifex ingressus adeo diruptam & vastatam invenit, quod nullam civitatis faciem habere videbatur: nam collapsæ domus, collapsaque Templa cernebantur, omnia dirupta, omnia vastata, omniaque lacerata & dissipata erant; & non modo templa, domus, vici, & plateæ ac reliqua urbis mœnia; sed & civium mores atque omne omnino civitatis ornamentum in ea deperditum videbatur. Quam ob causam Pontifex pietate commotus ad eam exornandam componendosque mores ita animum adjecit, ut brevi convalescens meliorem faciem præ se tulerit: quam ob rem civitas ipsa non modo ipsum civem suum & summum Pontificem, sed optimum patriæ parentem appellavit: & inter cætera Martinus ipse porticum sancti Petri collabentem imprimis restituit: & pavimentum Lateranensis Ecclesiæ opere

Archiepiscopum Florentinis dedit.

Mores composuit.

Patriæ parens appellatus est.

vermiculato perfecit, & testudinem ligneam superinduxit. Ædes præterea ad duodecim Apostolos vetustate collabentes restituit. Id ipsum & Cardinales omnes suis in titulis certatim fecere. Demum sublatis penitus schismatibus superato & extincto apud Aquilam Brachio Montono, aliisque tyrannis viarum latronibus & quam maxime Tartallia Lavello fugato, Bohemis insuper hæreticis sedatis: multis etiam Cardinalibus viris gravissimis creatis, & Ecclesia undique pacata, pontificatus sui anno XIV. & mens. III. ætatis vero suæ anno LXIII. apoplexiâ Romæ moritur, & in Constantina Ecclesia ante capita Apostolorum sepelitur sepulchro æneo, universo cœtu Romano comitante & flente: quo mortuo sedes vacavit dies XII.

Tartallia Lavellus fugatur.

Papa CCXX. *Anno Christi 1430.*

EVGENIUS Papa IV. ejus nominis gloriosissimus quidem natione Venetus, familia Condelmeria vetusta, patre Angelo, Gabriel religiosissimus antea vocatus, hoc anno V. nonas Martii apud Minervam Romæ post Martinum Papam Pontifex creatus, sedit annis XV. Hic Gregorii XII. ex sorore nepos, Canonicusque Celestini habitus congrega-

Canonicus Celestini habitus fuit.

gregationis S. Georgii in alga Venetiis fuit. Primo quidē ipsius Gregorii Thesaurarius, deindē Senensis Episcopus, postea Cardinalis, demum Pontifex factus, nil eo honore elatior, nulla in re pristinam naturam mutavit, eadem certe humilitate, eademque continentia & austeritate vitæ vixit, quamvis in initio sui regiminis malis consiliis ductus varius extiterit. Cū enim divina humanaq; omnia perturbaret Romanum populum ad arma concitavit, qui ipsius Magistratibus è Roma pulsis novos creavere. Romani itaque ipsum Pontificem, mutato habitu cum monastico cuculo fugere compulerunt; eumque per Tyberim fugientem lapidibus & sagittis persecuti sunt. Cumque Florentiam petisset, ibi per aliquod tempus substitit: quo in tempore omnia & bellis & schismatibus ubique perturbari cœpta sunt. Romani enim sublato clamore ad arma in libertatem conclamavere, & novis creatis magistratibus Franciscum Eugenii nepotem & Ecclesiasticæ ditionis Camerarium capiunt, arcemque sancti Angeli expugnant: Capitolium firmo præsidio muniunt; & per sex menses in libertatem se vendicant. Eo autem tumultu Basiliense Concilium antea Martini decreto inchoatum augere

Pontifex fugit & sagittis insequitur.

Concilium Basiliense.

augere per Hispaniæ, Galliæ, Pannoniæque reges cœptum est; qui communem Reipublicæ Christianæ gubernationem in arbitrio Concilii reponebant. Ad quod quidem Concilium Eugenius bis terque citatus ire recusavit: quam ob causam Eugenio Pontificatu abrogato, Amedeus Heremita olim Sabaudiæ Dux Pontifex delectus est. Eugenius autem indignatione permotus cum inter Carolum Francorum regem, & Philippum Burgundiæ Ducem pacem composuisset, Delphinum Caroli regis filium cum magno Comitatu in Basilenses concitavit: cujus impetu ille conventus statim dissipatus est, quamvis primo comprobasset: propter quod infinita subsecuta sunt mala. Ferunt autem hunc Eugenium præter Pontificis dignitatem mirum in modum amasse bella, verum postea ad se reversus prudentius & constantius egisse; unde & Concilium Florentiæ habuit, in quo Orientalem Ecclesiam cum Occidentali maximo cum impendio & labore univit; ubi & Ioannes Palęologus Constantinopolitanus Imperator, & suus Patriarcha cum Episcopis, Archiepiscopis, ac ingenti doctissimorum Virorum atque Nobilium totius Græciæ infuerunt: qui omnes sumptibus Romani Pon-

Sabaudiæ Dux fit Pontifex.

Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ unio.

Pontificis ac Romanæ Ecclesiæ enutriti ac in Græciam reportati fuerunt: eoque in Concilio adfuerunt, & Armeni, Æthiopes, Georgiani, Iacobitæ, Lybiam, Asiamque incolentes: atque alii ex Asia minori, Ponto videlicet, Cilicia, Syria & Aphrica, qui omnes fidei Catholicæ Romanæ Ecclesiæ se tandem submisere ac humiliter subdidere: idemque Sigismundum Cæsarem perbenigne Romæ exceptum imperii corona insignivit. Philippum Mariam Mediolanensem Ducem tamen quoad vixit inimicissimum habuit, à quo & per Nicolaum Piceninum & Franciscum Sfortiam adeo bellis undequaque vexatus fuit, ut vix ei respirandi facultas daretur. Bona tamen multa urbi contulit, maximeque circa Vaticanum: quia & ærarii officinam & aream Palatii instauravit, ac urbis vias multis in locis stravit, ac Lateranense Palatium restituit, juxta quod monasterium dignum, jam diu conditum instauravit: in quo pulsis Canonicis secularibus, Regulares Canonicos, sub regula divi Augustini nuperrime excitatos ex Frisionariæ loco Lucensis agri accitos introduxit: Basilicam quoque sancti Petri, & ejus sacristiam multa supellectili donavit. Religiosos omnes sub Regularibus institutis vivere

Multæ Nationes.

Canonici Regulares.

volentes, mirum in modum dilexit; & privilegiis, aliisq; gratiis plurimis juvit: aliis quoque gratiis auxit, Gymnasia omnium quam diligentissime fovit: & in omnes liberalis, & potissimum doctos fovit; quorum familiaritate, licet ipse modicę literaturæ delectatus est: & licet nunquã ad perdiscendam aliquam particularẽ literaturam animum adjecerit; Doctores tamen Ecclesiæ & Oratores atque historicos libros ita assidue legebat, ut subtilissimo ingenio omnes intellexerit. Hic Vladislaum Poloniæ regem cum Iuliano Cæsarino Cardinali in Turcos misit, qui cum xxx. millibus apud Andrinopolim cecidere. Erat itaque Eugenius hic aspectu angelicus, omni veneratione dignus, gravis semper & moderatus in dicendo; parcus in victu suo, sed in familia splendidus: familiares habuit doctos Viros & sanctitate probatos, quorum opera in rebus arduis utebatur. Vnum in eo reprehensibile fuit, quod anatas omnium beneficiorum, post Bonifacium nonum & ipse confirmavit, quæ in hodiernum usque diem perseverare cernimus. Obiit autem anno à natali Christiano 1446. VII. Kal. Martias, ætatis suæ lxiv. quo quidem anno beatum Nicolaum de Tolentino in sanctos retulit Confessores. Eo ita-

Hic viros doctos fovit.

Exercitum in Turcos misit.

itaque mortuo in beati Petri Basilica sepelitur, sepulchro Marmoreo cum hoc Epitaphio: videlicet;

Eugenius jacet hic quartus cor nobile: cujus
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu,
Alter ab occasu Cæsar uterque pedes.
Alter ut accipiat fidei documenta Latinæ;
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo Duce & Armenii Grajorum exempla secuti
Romanam agnorunt Æthiopesque fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundique è finibus Indi.
Magna sed hæc animo cuncta minora suo.
Nam valida rursum Teucros jã Classe petebat.
Dum petit ast ipsum sustulit atra dies.
Qui semper vanos mundi conscripsit honores,
Atque hac impressa condere duxit humo.
Sed non quem rubro decoraverat ille galero
Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit.
Susceptiq; memor merito tã nobile, quod nunc
Cernis, tam præstans surgere jussit opus.

PAPA CCXXI. *Anno Christi 1438.*

FELIX Papa V. ejus nominis, natione Sabaudiensis, Amedeus Heremita antea vocatus, anno Domini 1438. die XVII. Novembris Eugenio Pontifici, à Basiliensi Concilio, Philippi Ducis procuratione disposito & in Schismate Pontifex electus, sedit annis IX. Quo creato

ſtigio magnæ ſeditiones in Eccleſia Dei exortæ ſunt : cum Chriſtiana reſpublica trifariam diviſa ſit, aut Felicem aut Eugenium ſequeretur ; eſſentque qui neutrales vocarentur, quod neutri obtemperarent. Hic itaque Felix primus Sabaudiæ Dux fuit, qui prius Comites appellabantur : & à Sigiſmundo Cæſare titulo Ducatus obtento. Cum annis ferme 40. poſt patrem provinciæ gubernacula tenuiſſet, aucto paterno imperio, parta undique pace, ac demum relictis principatus gloriæ faſcibus in Heremum ſe recepiſſet, cum ſex viris equeſtris ordinis ætate etiam provectis, mundo & pompis ejus renuntiaſſet : ad Ripaliæ locum, tanquam Paradiſum delitiarum ſibi delegit. Cumque eo in ſtatu vitam cœlibem in terris ageret : à Baſileenſi Concilio Pontifex electus fuit, barbam totondit, quam antea nutriverat : ducatum primogenito ſuo tradidit : Eccleſiaſticas ceremonias didicit. Stipatus magnâ Nobilium catervâ, Baſileam perrexit; ubi inter duos filios egregiâ facie adoleſcentes. tanquam Romanę pręſul Eccleſiæ coronatus eſt. Celebravit ſæpe divina, benedixit plebi : officia curiæ ordinavit : Cardinales doctrina & auctoritate pręſtantes aſſumpſit. Verum cum pacis & humilitatis ama-

tor

tor existeret: mortuo Eugenio Pontifice ilico nullis pulsatus precibus; Nicolao ejus successori humanissime cessit: relicto nomine Papæ; Cardinalatus honorem retinuit, In patria sua Legatum de latere creavit; deficiens demum in senectute bona. Fuit autem Clarissimus Princeps propter genus & suę elegantiæ formam: ac regiam dignitatem & promptam eloquentiam: manibus integer, vita & religione sanctus, in subditos clemens, in bello magnanimus, & in omnes justissimus: ac demum nimium felix: si senium suum Ecclesiasticis titulis non fœdasset.

PAPA CCXXII. *Anno Christi 1447.*

NICOLAUS Papa, ejus nominis V. natione Genuensis: patria Sarzanensis, Thomas antea vocatus, patre Bartholomeo Chirurgico, humili familia natus: hoc anno Eugenio pontifici omnium suffragiis Pontifex creatus, sedit annis VIII. Vir certe tanto principatu dignissimus & quam necessarius: omniumque literarum scientissimus ac virorum doctorum observantissimus: quos undique perquisivit, eos quoque semper ubicunque & pecuniâ

& beneficiis mirifice juvit. Qui cum omnium pene virtutum ornatissimus haberetur: & in Dominum hominesque bene meritus; uno eodemque anno, & Episcopatus & Cardinalatus ac Pontificatus munus cum omnium pace & admiratione adeptus est. Qui cum Pontificatum iniisset (præter omnium spem) omnes mundi Principes, cum esset & consilio & virtute illustris, in omnibus habuit favorabiles & obsequentes. Cujus rei gratia & Felix Pontifex permotus, animadvertens id à Deo factum fuisse: è vestigio, ad tollendum omne Schisma, Pontificatu se sponte abdicavit, & per Oratores suos eum Pontificem verum salutavit. Quapropter Nicolaus hic visa hominis humanitate, statim Galerum Cardinalatus eidem solemniter transmisit, atque Sabaudiæ & Germaniæ totius eum Legatum ex latere creavit: & quicquid in Pontificatu sanciverat approbavit. Qua quidem concordia adeo non modo lætatus est populus Romanus: sed etiam totus mundus à tanta seditione liberatus. Nicolaus vero ne ingratus Deo tanti beneficii videretur, supplicationes admodum celebres cum populo & Clero habuit: idem

Vide rē divinam præter consuetudinem.

Ducem Sabaudiæ Cardinalem & Legatum creat.

Supplicationes pro gratiis ejus.

idem & omnes Italiæ populi effecere. Ea igitur gratia & auctoritate Pontificis, populi & Principes permoti ad bella tam diu concitati, aliquamdiu substitere. Et Fredericus jam diu Romanorum rex creatus, una cum Leonora conjuge sua nova, pro corona accipienda Romam concessit, & ab ipso coronam & nuptiarum benedictionem accepit. Multa enim hic gloriosus Pontifex in urbe & extra ædificia magnificentissime ædificavit, & quam maxime in Vaticano pontificale Palatium sumptuosissime extruxit: & murorum ingentem molem ibidem inchoavit, quibus coerceri hostes possent, ne Pontificis ædes diripere possent. Pantheon quoque, quod S. Maria rotunda vocatur, plumbeo tecto restituit. Templum etiam sancti Theodori à fundamentis erexit, ac sancti Stephani Ecclesiam restituit: Pontem Milvium, & urbis mœnia instauravit, ac urbis vicos ubique ferme stravit. Habentur adhuc multa ipsius vasa aurea & argentea, nec non & cruces multæ gemmis ornatæ, & Sacerdotalia vestimenta auro & argento intexta, quæ ejus magnificentiam omnibus ostendunt: librosque perpulchros infinitæ multitudinis, cum adhuc imprimendi ars non prodiisset, ex-

Fridericus cum uxore coronantur.

Ædificia ejus.

Librorum copia.

scribi

ſcribi fecit. Huic autem plures, quam ulli mortalium dedicati fuerunt libri: Eleemoſynas in pauperes, & virgines erogavit, quod expers avaritiæ omnino eſſet. Gratus erga ſe meritos juſtitiæ, pacis amator, atque auctor & conſervator fuit. Iubileum habuit permaximumquartum: Beatum Bernardinum canonizavit, & omnia proſpera eidem ſucceſſerunt. Tandem cum captam à Turcis Conſtantinopolim audiviſſet, dolore animi quo plurimum cruciabatur, modica febri ſauciatus diem clauſit extremum: quem in beati Petri Baſilica ſepelierunt. Cujus ſepulchro tale Epitaphium inſcriptum habetur.

Beatum Bernardinum Canonizavit.

Hic ſita ſunt quinti Nicolai Pontificis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula Roma tibi.
Conſilio prudens, virtute illuſtrior omni:
Excoluit doctos Doctior ipſe viros.
Abſtulit errorē, quo ſchiſma infecerat orbem.
Reſtituit mores: mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput, Friderici conjugis auro
Res Italas icto fœdere compoſuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura ſacro.

Papa

PAPA CCXXIII. *Anno Christi 1455.*

CALIXTUS Papa III. hujus nominis, natione Cathelanus, patriâ Valentinus, patre Ioanne viro nobilissimo natus, Alphonsus Borgia antea vocatus; Nicolao Pontifici omnium suffragiis, jam decrepitus, hoc anno suffectus, sedit annis III, & mens. III. Magni consilii Vir, & excellentissimi animi decoratus, & utriusque juris peracutus Doctor; atque regis Alphonsi prius præcipuus Secretarius: qui Pontificatu suscepto, ut ante devoverat bellum in Turcos statim indixit, & ad id perficiendum, per universum orbem Christianum prædicatores misit, qui Christianos in eandem expeditionem animarent, & cum suis opibus adjuvarent. Quibus eleemosynis XIII. triremes primum ædificavit: & in hostes per Patriarcham Aquileiensem, ibidem præfectum statim misit: qui cum illis toto triennio Turcos acriter vexavit, & magnas clades illis intulit, & eorum multas insulas cepit. Alphonsus vero rex & Ludovicus Burgundiarum Dux plurimum animati in eam expeditionem se ituros spoponderunt: sed suorum

rum regnorum voluptatibus irretiti, tantam tamque sanctam rem omisere. Hæc idcirco Calixtus hic optimus Pontifex litteris & nunciis eos & reliquos Christianorum Principes non cessabat ad hujusmodi rem pernecessariam adhortari: cujus rei causa etiam Sacerdotibus omnibus celebrantibus mandavit, ut orationem contra Paganos, quotidie in Missa decantarent, ut Deus assiduo rogatu flecteretur. Voluit quoque ut in meridie sonum campanis darent, sicut in sero ad salutationem Virginis Mariæ: ut ea oratione eos adjuvaret, qui contra Turcos continue dimicabant. Eâ etiam de causâ, transfigurationis Domini nostri Iesu Christi festum & officium ordinavit; jussitque illud cum indulgentiis illis celebrari, sicut solennitatem corporis Christi: & propterea Legatos ad Vsum Cassanum Armeniæ & Persarum regem, cum multis & magnis muneribus misit, ut eum in Turcos excitarent: cujus plana persuasione magnas eisdem plagas intulit. Hic beatum Vincentium Cathelanum suum compatriotam ordinis prædicatorum; & beatum Edimundum Anglicum in sanctos retulit confessores. Hujus inter cætera

Orationem contra Paganos dici mandavit. Ave Maria in sero pulsari jussit.

Officium transfigurationis ordinat.

Beatum Vincentium & Edimundum Canonizavit.

cætera præcipua laus fuit quod eleemosynas pauperibus & Dei servis libenter & frequenter dabat, virginesque pauperes maritis cum dote collocabat. Nobiles ad inopiam redactos suis impensis pro posse juvabat, omnesque ad se venientes mira benignitate & benivolentiâ complectabatur: & eorum preces libenter proposse exaudiebat. Deniq; moriens centum & quinquaginta millia nummûm aureorum, quos in Turcos conquisierat, reliquit: cujus funus in beati Petri Basilica, templo rotundo sepelitur.

PAPA CCXXIV. *An. Christi* 1458

PIUS Papa II. ejus nominis natione Etruscus, patriâ Senensis, Æneas Silvius antea vocatus, Poëta egregius: patre Silvio nobili satis familia Picolominea natus; hoc anno Calixto Pontifici surrogatus, sedit annis v. mens. XI. & diebus XXVI. Brevis quidem pontificatus, sed ingens gloria fuit: vir plane omni laude dignus; utpote eruditissimus, eloquentissimus, copiosissimus, ac fortitudinis & prudentiæ singularissimus; qui non ad ocium, nec ad segnitiem, sed ad res agendas, & quidem maximas vocatus, majestatem Ponti-

Pontificiam augere visus est, pro qua neque Reges neque Duces, aut populos atque Tyrannos ullos formidasse compertum est: imo si quos delinquentes vidisset & bello & censuris tamdiu persequebatur, quo id usque ad sanitatem redisse agnovisset. Et propterea Ludovico Francorum regi adversarius extitit, qui libertatem Ecclesiæ suo in regno minuere tentaret: Borsio Estensi cognominato; eo quod Sigismundo Malatestæ, & rebus Gallicis contra Ferdinandum faveret. Sigismundum Austriæ Ducem, qui in Cardinalem ad vincula Petri animadvertisset; diris execrationibus persecutus est: Moguntinum insuper antistitem male de Ecclesia Romana sentientem sede dejecit, & alterum ejus loco suffecit Beneventanum quoque Archiepiscopum, contra ejus voluntatem res novas molientem, & Bonaventum Gallis prodere volentem; Archiepiscopatu summovit: multasque Campaniæ urbes in potestatem Ecclesiæ redegit: nil regibus, nil populis timore vel avaritiâ unquam concessit: Ecclesiæ inimicos, veluti hostes publicos constanter & intrepide persecutus est: amicos autem humanissime & officiosissime semper adjuvit. Hic primo sui Pontificatus anno Mantuæ con-

Francorum regem & Ferrariæ Ducem ac Sigismundum Malatestam compescuit.

ven-

ventum pro fide Chriſtiana habuit, & in eo Principes omnes congregavit, ut Turcis bellum indicerent, ſed fruſtra id fuit. Ea quippe de cauſa innumerabiles viros ex Hiſpania, Gallia, Germania, in Italiam convocavit, quos dum ipſe Pontifex Anchonam proficiſceretur invenit; quorum magnam partem, & maxime Germanorum cum benedictione Apoſtolica in Patriam remiſit, eo quod minus idonei viderentur. Fuit autem pius hic Pontifex imprimis, ut ſuperius monſtratum eſt, ſtudioſiſſimus & doctiſſimus homo, & doctorum virorum amantiſſimus, continentiſſimæque vitæ & otii ac diſſidiæ inimiciſſimus, ſtatura brevi, facie ſenecta & ſerena, canoque capite, qui tandem anno ætatis ſuæ LXIV. cum Anchonæ eſſet cum immunerabilibus populis, proficiſceretur lenta febre percuſſus, diem clauſit extremum; cujus funus Romam delatum in Baſilica Petri, apud altare ſancti Andreæ ſepulchro marmoreo conditum eſt: cui tale Epitaphium inſcriptum eſt: Pius ſecundus Pontifex Maximus, natione Tuſcus, patriâ Senenſis, gente Picolominea, ſedit annis VI. brevis Pontificatus, ſed ingens gloria fuit: Conventum Chriſtianum Mantuæ pro fide habuit: oppugnatoribus Romanæ

Conventum Mantuæ habui.

De ejus doctrina & moribus.

Epitaphium hujus Pontificis.

Ecclesiæ intra atque extra Italiam restitit. Catherinam Senensem inter Sanctas Christi virgines retulit, Pragmaticam in Gallia abrogavit, Ferdinandum Arragonensem in regnum Siciliæ Cisfretum restituit: rem Ecclesiæ auxit: & fodinas inventitias alumnis apud Tolpham instituit: cultor justitiæ & religionis amator, admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat Anchonæ decessit: ibi & Classem paratam & Ducem Venetorum cum suo Senatu militonem Christi habuit. Relatusque est in urbem patrum decreto & hic conditus: ubi caput Andreæ Apostoli ad se ex Peloponeso advectum collocari jusserat. Hic toto suo Pontificatu Cardinales XII. veteribus addidit: urbem Romam etiam multis ædificiis exornavit, & Tiburæ arcem extruxit,

Catherinam de Senis canonizavit.

Papa CCXXV. *Anno Christi* 1464.

Paulus Papa II. hujus nominis, patriâ Venetus, patre Nicolao, matre Polisena natus, Petrus Barbo antea vocatus, Eugenii Pontificis ex sorore nepos: hoc anno pridie Kal. Septembris

ptembris ex Cardinale Sancti Marci, Pio Pontifici suffectus, sedit annis VI. & mens. decem, Magni certe animi, magnæque prudentiæ Vir; corpus habens magnum ac majestati Pontificię dignum: qui Pontificatu adepto, mox ejus majestatem, tum auctoritate, tumq; armis augere conatus est. Nam & duo bella toto suo Pontificatu in Italia suscepit, quæ nulla re prius bello repetita, sed insidiis primo inchoata postea deseruit. Tolpham enim veterem obsidens & oppugnans; supervenientibus regiis copiis, quæ cum Ursinis militabant: cum adhuc sexaginta passuum millibus abesset, repente obsidionem solvit, & locum deseruit. Eo etiam modo Robertum Sigismundi Malatestæ filium aggressus est: qui cum Ariminum aliquamdiu oppugnasset, & aliquomodo ejus suburbia tormentis lacerasset; ab regio & Florentino exercitu fusus atque fugatus obsidionem solvere coactus est. Cum autem Pontificatum iniit, statim omnes abbreviatores, quos Pius Pontifex prædecessor suus instituerat, abrogavit & exautoravit; & Canonicos regulares è Sancto Ioanne Laterano à Calixto Pontifice pulsos restituit. Multa apud sanctumMarcum, &inVaticano extruxit:

Tolpha urbs.

A Roberto Malatesta fusus est.

Canonicos regulares pulsos restituit.

quæ

quæ viri magnificentiæ dignitatem præ se ferunt. Fuit inter cætera justus Pontifex, pauperum, præsertim Cardinalium, Episcoporum, Principum & nobilium Virorum amator; quos una cum virginibus, viduis & ægrotis propriis pecuniis frequenter juvabat: ejusque præcipua cura semper fuit, ut omnia ad victum necessaria urbi non deessent. Sed in hoc aliquantulum reprehensibilis fuit, quod in colligendis pecuniis & jocalibus preciosissimis nimium diligens extitit, & imperio cum omnia ageret, odiosus omnibus erat. Denique decem Cardinalibus creatis, inter quos Franciscus à Ruere Saonensis unus fuerat; & cum annos plurimos vivere sibi persuaderet, anno salutis nostræ 1471. v. Kal. Augusti, horâ secundâ noctis; cum eo die lætum consistorium habuisset, & jocundissime cœnasset; apoplexiâ correptus, vitam cum morte mutavit. Cujus corpus cum in Vaticano sepulturæ traditum esset, sedes vacavit dies IX. Cui & postmodum incredibile sepulchrum marmoreum à suis nepotibus Cardinalibus erectum est.

Amator pauperum.

Papa

PAPA CCXXVI. *Anno Christi 1471.*

SIxtus Papa IV. hujus nominis, natione Ligurus, patriâ Saonensis, Franciscus à Ruere antea vocatus, ordinis Minorum generalis minister: hoc anno Paulo Pontifici, repentino interitu sublato Idibus Augusti eidem surrogatus, sedit annis XIII. Vir certe ingenio tantus, quantum nostris temporibus fuisset, præcipue doctrinarum vigore: & propterea de potentia Dei scripsit; librumque de sanguine Christi: de futuris contingentibus: de conceptione Beatæ Mariæ Virginis, & quædam alia perpulchra. Fuit namque ante Pontificatum, ac etiam in ipso pontificatu mitissimæ consuetudinis ac vitæ pientissimæ; in pauperes religiosos que maxime munificentissimus, atque devotus & affectus; quos omnes uno ordine amavit & fovit, ac amplissimis privilegiis & gratiis, aliisque spiritualibus & temporalibus beneficiis indesinenter adjuvit. Nam omnes mendicantes religiosos ad æmulationes evitandas in privilegiis & gratiis censuit esse æquales: inde in amicos & familiam jocundus existens, etiam in delinquentes: Cle-

Hujus libros commemorat.

Privilegia omnibus religiosis concessa.

Clementem & modeſtum voluit nominari. Principes enim pauperes & Nobiles viros Patriâ extorres, præſertim Palęologorum filios Boſniæque reginam, atque alios complurimos Turco pulſos, pecuniis adjuvare non deſtitit: & Rhodiorum milites ac Ferdinandum regem à Turcis vexatos, mira & incredibili pietate confovit, & adjuvari fecit. Urbem Romanam cœnoſam & incompoſitam, ac vetuſtate multis in locis collabentem & deturpatam pro poſſe in omnibus inſtaurare ſategit, & vias ejus omnes cultiſſime & decentiſſime ſtravit: pontem ſuper Tyberim maximâ impensâ exſtruxit, & à ſe Sixti pontem nominari voluit. Aliis quoque ædificiis quaſi innumerabilibus, tum in Vaticano, tum in urbe Leonina, atque Romana extruxit: quibus mirum in modum Apoſtolicam ſedem exornare viſus eſt: quas ob res ipſe urbis novus conditor appellari merito potuit. Ædes inſuper Pontificias, multis in locis, apud ſanctum Petrum, non modo cultiores, ſed & cultiſſimas reddidit; ubi etiam Eccleſiam novam & quidem ornatiſſimam fabricavit, & in ea novos Sacerdotes conſtituit, additis multis proventibus ad ipſorum ſuſtentationem; qui divina quotidie in ea ſuo nomine

Pontem urbis fecit.

Conditor urbis Romanæ.

mine celebrarent. Hoſpitale Sancti Spiritus in Vaticano permagnificum quaſi de novo ſabricari fecit: in quo & vitæ ſuæ ordinem depingi voluit. Et cum Beatiſſimæ Virginis Mariæ devotiſſimus eſſet, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de populo ſic nuncupatam, quaſi vetuſtate collapſam, à fundamentis magnâ impensâ denuo erigere fecit; & ipſam tandem perfectam multis muneribus decoravit, tum argenteis, tum etiam aureis: alias quoque ferme omnes urbis Eccleſias, aut inſtauravit, aut muneribus decoravit: atque alia innumera, tum ſpiritualia, tum temporalia, hic urbi Romanæ contulit beneficia. Et, ut brevius concludam, in ſuo Pontificatu nil egit, quod merito reprehendi poſſit, niſi quod & ipſe, ut fit, ſuos nimium amavit, eis videlicet divina & humana contribuens, præter Dei & Eccleſiæ Romanæ dignitatem, atque honeſtatem; in quem ſane errorem multi ſuperiorum Pontificum etiam cecidere: quod ſatis deteſtandum & reprehenſibile eſt. Duos enim nepotes ſuos urbis præfectos, videlicet Leonardum & Ioannem ſucceſſive conſtituit: Manfredos Imolæ urbis regulos, videlicet patrem & filium, inter ſe diſſidentes: & poſtmodum Ordelaphos ſimiliter è

Conditor hoſpitalis ſancti Spiritus.

Eccleſiam de populo extruxit.

Nepotes ſuos præfectos urbis conſtituit.

Manfredos & Ordelaphos regulos expulit.

Forlivio expulit, & ipsas eorum urbes Hieronymo Riario concivi & necessario suo charissimo concessit, cujus quidem consilio arduis in rebus semper uti voluit. Hic Iubilæum à Paulo Pontifice prius per universum Christianum orbem institutum, honorifice & viriliter in anno IV. Pontificatus sui celebravit; & beatum Bonaventuram Theologum ordinis sui, sanctorum Confessorum numero ascripsit. Hic quædam bella judicio multorum præter justitiam suscepit, & inprimis Laurentium Medicem Florentinum excommunicavit, & ipsis Florentinis bellum indixit, eò quod Raphaelem Diaconum Cardinalem Comitis Hieronymi Riarii ex sorore Violentina nepotem, ac Franciscum Salviatum Pisanum Archiepiscopum, cum trecentis viris qui Iulianum Medicem ipsius Laurentii Medici fratrem in divæ reparatæ Templo obtruncaverant, detinuissent ac suspendio interemissent: quæ res cum huic Pontifici Sixto nuntiata fuisset, hortantibus Ferdinando rege & Hieronymo comite, bellum contra Laurentium ipsum Medicem & Florentinos suscepit, & damna multa eis intulit. Aliud postea adversus Ferdinandum Apuliæ regem suscepit, quod nollet illum Herculi Estensi genero

Beatum Bonaventuram canonizavit.

suo

ſuo à Venetis obſeſſo auxilio adeſſe: indeque cum ipſo Ferdinando pace confecta, pro eodem contra Venetos, mutatâ ſententiâ pugnam ſuſcepit, eo quod Veneti ipſi nolentes eidem obtemperare ut Herculem obſeſſum dimitterent, ac ablata ipſi reſtituere. Et propterea non modo omnes Italiæ Principes & potentatus contra eos concitavit: ſed veluti Clemens ſextus alias effecerat, ipſos Venetos interdixit, excommunicavit ac maledixit; atque etiam omnibus dignitatibus eos privavit, nec quoad vixit illis abſolutionis beneficium impendere voluit. Dumque hæc agerentur febribus decubuit; & pace inter Venetos & reliquos Principes confecta & audita, mox vitam exhalavit. Fuit nihilominus Pontifex hic inter cæteros optimus, ac præ omnibus certe feliciſſimus & fortunatus, quod omnes Chriſtianos Principes, toto tempore ſui Pontificatus obſequentiſſimos habuit. Et quos voluit depreſſit: quos autem voluit, pro voluntate exaltavit. Suis etenim, ut præmiſſum eſt, ſine ulla contradictione multa ac plurima contulit beneficia. Etſi multos habuit detractores: tamen, ut verum fatear, vir bonus erat, & juſtus Pontifex fuit. Summa etenim inſtantia & alacritate anima-

Venetos excommunicavit.

Hujus bonitatem commemorat.

rum custos extitit. Cupiditatem omnino à se resecavit, iras compressit, & malitias omnes extirpavit, & virtutibus semper inhæsit. Triginta duos Cardinales toto tempore sui Pontificatus creavit: è quibus tres fuerunt Romani, duo Genuenses, & quatuor Saonenses; inter quos Iulianus sancti Petri ad vincula ex fratre nepos fuit, qui ipsius corpus maximâ pompâ & devotissimis exequiis, ut decuit, novo in Templo seu sacello apud sanctum Petrum in Vaticano sepeliri fecit. Hic etiam multa officia nova & institutiones festivitatum veteribus addidit & multorum Sanctorum festa, videlicet Seraphici, Francisci, Conceptionis & præsentationis gloriosissimæ Virginis Mariæ, sanctæ Annæ matris ejusdem, sanctissimique Ioseph sponsi ejus, celebrari jussit: ac multa alia ad cultum Dei pertinentia, hic optimus Pontifex observari mandavit. Quo mortuo vacavit sedes dies XV.

Triginta duos. Cardinales creavit.

Festa ab hoc Pontifice ordinata: scilicet, Francisci, Præsentationis, sanctæ Annæ, sancti Ioseph.

Papa CCXXVII. *Anno Christi 1484.*

INNOCENTIUS Papa VIII ejus nominis, patriâ Genuensis: patre Aaron Cyborum mediocri familia, sed honorata

norata natus, Ioannes Baptiſta antea vocatus; poſt Sixtum Pontificem ex Cardinali Preſbytero ſanctæ Ceciliæ, hoc anno Idibus Auguſti Pontifex creatus, ſedit annis VII, & menſibus XI. Hic inter cæteros Cardinales cum pauperior, humiliorque ac humanior certe haberetur, propter ipſius humanitatem atque manſuetudinem Pontificium munus aſſequi meruit: ferebatur etiam in rebus gerendis prudentiſſimum & magnanimum atque conſtantem, eò quòd Senis & alibi legationis officio peroptime functus fuiſſet, & magnam ſui regiminis & prudentiæ patribus ſpem præſtitiſſet. Factus deinde Pontifex, ut erat vir optimus Eccleſiam Dei pro poſſe in pace continere conſtituit. Et merito quidem Innocentius fuit appellatus; quia & ſanctimonia ac animi magnitudine, cum quovis optimo Pontifice conferri potuiſſet: rerum divinarum maxime appetentiſſimus; munificuſque, & quàm maxime in pauperes, ut veros decet Pontifices. Nihil erat quod illi melius pace communi videretur, cum ejus omnia conſilia quietis forent: nec tamen bellum diſſuadebat, cum pro tutela Eccleſiaſticæ ditionis ſuſcipiendum foret. Sed arma non propter victoriam, neque propter

Virtutes ejus dicit.

juriam vindicandam ſumenda dicebat, ſed propter pacem obtinendam: finem verò belli non rapinam aut gloriam, ſed quietem eſſe debere. Hujus itaque pontificatus per duos annos infelix plurimum extitit, & multorum bellorum plenus. Et quod à principio multa cum inſtantia ab omnibus potentatibus expetivit, difficillime tandem obtinuit. Quibuſcunque enim Oratoribus à principio ad præſtandam eidem ex more obedientiam ad ſe venientibus ſummopere pacem & concordiam ſuadebat, armaque omnibus deponere præcipiebat. Sed inimicus homo ut bonis ejus deſideriis obſiſteret haud multo poſt in languorem maximum eum perduxit: ſtatim inter Urſinos & Columnenſes urbis primores magnum diſſidium excitavit. Diu etenim inter ipſas potentiſſimas familias immortale interceſſerat odium: quod vivente Sixto Pontifice ſopitum eſſe videbatur: ſed eo Pontifice defuncto Columnenſes contra Urſinos arma ſumpſere; & multis eos incommodis affecere, ac univerſam urbem perturbavere. Quas ob res multis ſceleratis & damnatis in ipſa urbe & extra, licentia peccandi conceſſa fuit; quæ res cum aliis permultis maximum animi dolorem Pontifici optimo

Vrſini & Columnenſes inimici.

mo

mo inflixit, indeque pro Ecclesiæ libertate, ipsius subditorum tuitione: videlicet Aquilæ urbis aliarumque urbium & procerum magnum bellum licet invitus contra Ferdinandum Apuliæ regem suscepit: & Robertum sancti Severinatem, maximâ cum impensa contra ipsum Ducem conduxit. Sed post varias depopulationes & vastationes atque incendia tandem rogatus pacem cum omnibus facere voluit: ea scilicet lege, ut rex ipse tributum Ecclesiæ, quod singulis annis pendere consueverat, quodque Sixtus Pontifex relaxaverat, de cætero Pontificibus Romanis integre persolveret: utque regni proceribus contra ipsum Ferdinandum regem ejectis omnino ipse rex parceret: atque illum jure jurando astrinxit, ne deinceps contra Pontificem Romanum arma moveret: & pace conficienda, etiam dissidia Vrsinorum & Columnensium composuit. Quibus ex rebus magnam suæ virtutis & constantiæ laudem reportavit. His ex sententia bene gestis etiam Buchallinum Osmi Principem, seu Tyrannum, qui contra Ecclesiam rebellaverat, & ad Turcum defecerat debellavit, ac expugnavit: illumque tandem captum, vinctum ad Ludovicum Sfortiam Mediolanum transmisit,

Bellum contra regem, conditiones pacis cum rege.

Buchalinus Osmi Princeps.

& oppidum sibi & Ecclesiæ subjecit. Multa denique hic optimus Pontifex, & circa Pontificiam dignitatem, remque publicam Christianam, nec non & amicorum utilitatem facere decreverat: sed ob temporis brevitatem, suamque infirmitatem ac bellorum & epidimiæ perturbationem non adimplere modo, sed nec incipere potuit. Hic Cardinales multos in toto suo Pontificatu creavit: inter quos, ut alios missos faciam, Antoniotus Palavicinus vir profecto religiosissimus & optimus unus fuit. Hic post beneficium sanitatis adeptum Heliopoldum olim Austriæ ducem jam diu defunctum: ob crebra ipsius miracula enarrata in sanctorum Confessorum numero rogatus aggregavit: Venetosque ab interdicto Ecclesiastico & censura in eos à suo prædecessore fulminata liberavit & absolvit, & eosdem sibi confœderatos & amicos effecit. Beneficus equidem quo ad potuit & circa Deum imprimis, amicosque pro viribus semper fuit. Nam post corporis sanitatem, inter cætera pro gratiarum actione monasterio & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de populo argenteam Ecclesiam miro artificio elaboratam, cum magno Cleri populique Romani frequentia ipsemet propriis manibus super al-

Sanctus Heliopoldus.

Venetos absolvit.

per al-

per altare obtulit: atque alia quibusdam Ecclesiis aliisque locis piis munera condonavit. Quia autem parentibus & agnatis aliquod beneficii signum, nisi Francisco & Theodorinæ filiis, ostendere minime potuit. Ante enim Pontificatum & Cadinalatum: (sicut & divus Augustinus dum in minoribus esset,) duos ex daninato coitu susceperat filios: videlicet Franciscum filium & Theodorinam fœminam: quibus nimio afficiebatur amore. Ambos enim pro virili sua enitebatur magnos efficere. Unde inprimis filiam honorato & illustri viro, matrimonio cum ingenti dote collocavit: Francisco autem filio dilectissimo illustris Laurentii Medici Florentini filiam conjugem dedit: eidemque dum moreretur maximos thesauros de consensu Cardinalium dimisit, quos nihilominus ipse dum adhuc Pontifex pater superviveret, furtim abstulit, & Florentiam ad patrem Medicem sororium transmisit. Fuit itaque hic dignissimus Pontifex omnibus virtutibus: quæ in Pontifice maximo requiruntur decoratus, sanctitate videlicet & justitia, atque prudentia; quippe qui propria virtute, & non aliquo favore, nec fortuna ex humili loco ad id fastigium evectus fuit. Tanta enim hujus Pontificis fuit

gloria, ut nullius laude crescat, nulliusve vituperatione decrescat: nec plura de ejus laude ob ingenii mei exiguitatem referenda censeo. Denique relicto apud omnes Christianos sui desiderio moritur, & apud sanctum Petrum magna funeris pompâ sepelitur.

Papa CCXXVIII. *Anno Christi 1492.*

Alexander Papa, ejus nominis VI. natione Hispanus, Theodoricus antea vocatus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, Calixti olim Pontificis ex fratre nepos; hoc anno IV. Idus Augusti Innocentio Papæ, omnium consensu Pontifex suffectus, sedit annis XI. & diebus VIII. Hic ex Gente Borgia nobilissima Hispanorum familia duxit originem; quem Calixtus Papa III. ejus patruus à puero educavit, instruxitque, atque hujus dignitatis gradum præparavit: unde & literis humanis pariter & divinis à principio summopere illum instituit, & erudiri curavit; in quibus certe, ut erat acri ingenio adolescens, præstantissimus evasit. Quo factum est ut in explicandis consiliis, optimam facundiam ab ipsa sua adolescentia demonstraret.

Calixtus Papa patruus.

ſtraret. Quapropter & in ipſa juvenili ætate, cardineum munus, ac vice Cancellariatus officium, ad quod prope omnes graves Curiæ Romanæ referuntur expeditiones, ubi & maxima Eccleſiaſticarum rerum referuntur moles, eidem conceſſit: in quo quidem officio, tanta cum omni Curialium benivolentia, atque admiratione ſe exhibuit, ut tandem ad id faſtigium merito pervenire meruerit. In quo quidem officio per quatuor & quadraginta annos maxima rerum pericula, atque naufragia, conſtanti animo maximum experimentum de ſe dedit. Nulla equidem negotiorum gravitas aut Romanæ Eccleſiæ conditio, temporumque difficultas contigit unquam, quam in officio non fuerit expertus, quæve ſuo non ceſſerit conſilio. Inito itaque Pontificatu mox ab omnibus Chriſtianis Principibus & præcipue Italis, maximâ pompâ eſt ſalutatus. Huic ideo hoc nomen magnum decretum fuiſſe arbitror, quòd ejus regius inprimis aſpectus, ac cœleſtis quædam in eo ſpecies, utrique & nomini & Pontificatui apte conveniret; quod Alexandros omnes, tum Pontifices, tum reges exactos, pontificatum & imperium feliciſſime geſſere: ut eorum geſta feliciter

44. annis ViceCancellarius fuit.

Duos Cardinales ex suis creavit.

demonstrant: qui statim ex suis, ut moris est duos Cardinales, videlicet Ioannem Borgiam Montis regalis nuncupatum, & Valentinum similiter Borgiam creavit: quem quidem Ioannem nepotem sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem ex sacri senatusconsulto Legatum declaratum, secundo Pontificatus sui anno Neapolim cum ingenti Prælatorum & Curialium comitiva ad Alphonsum, nuper regem creatum, investiendum & coronandum misit; quod & factum fuit multa cum solemnitate, & ceremoniarum omnium exactissimâ observantiâ: quo facto fœdus cum eo maxime, propter adventum Caroli Gallorum regis, iniit, in quibus duobus videlicet Pontifice & Alphonso spes omnis contra Gallos relicta erat. Eo tunc Iulianus à Ruere, sancti Petri ad vincula Cardinalis, Sixti papæ nepos, Ostiæ oppidi Dominus; Tyberim fluvium interclusit, jam Gallorum Regis amicus & Pontificis hostis effectus; ne commeatus in urbem deveherentur. Quam ob rem statim Romani ad rerum omnium inopiam devenere: Pontifex vero cum antea Romanorum numero & virtute fretus securus esse videretur, appropinquante Gallorum rege adeo territus est, ut

Alphonsum coronavit.

Cardinalis ad vincula hostis.

ut vi illa ac magnitudine animi elanguescente ad oblatas regis quoque per Legatos conditiones protinus descenderet. Tum populus omnis ex summa tristitia in plausum & lætitiam convertitur: Pontifex invitus regias copias, quæ in auxilium venerant extra urbem excludit; ipse vero in arcem sancti Angeli se contulit, formidinis plenus. Carolus Kalendis Ianuariis cum universo exercitu Romæ excepto, in Palatio divi Marci sedem locavit: ubi cum Pontifice compositis rebus inter mutuos complexus Maclodiensem unum ex Baronibus regi carissimum, mentitæ amicitiæ auctorem Cardinalem designat: subjugata deinde rerum quasi domina Roma, quinto Kal. Februarias rex Gallus Româ discessit: & invito Pontifice Zizimum Imperatoris Turcarum fratrem, virum maximæ virtutis & strenui animi, ut omnia in Turcas moliri videretur, secum abstulit: (ejus causa Pontifex quadraginta millia nummûm aureorum singulis annis, data taxatione à fratre accipiebat: traduntque eam ob causam hactenus Turcas extra Italiam coercitos fuisse:) qui paulo post, negligentiâ regis, rheumatismo moritur, non parva rei Christianæ jacturâ. His cognitis Alexander Pontifex sibi timens, depo-

Maclodiensis Cardinalis fit.

Zizimus Turcus moritur.

deposita spe, quam in Romana turba rei militaris ex parte posuerat, urbe extremâ inopiâ laborante. Cognito Caroli regis odio ac Valentini Cardinalis fuga, instantem ruinam reformidans, incerta consilia volvebat: statuit convocato patrum concilio, de summa rerum deliberare, in quo hæc pauca elocutum accepimus. Videtis, inquit, filii Carolum Gallorum regem Italiæ magnam partem subegisse, & eam armis virisque implevisse; à Pontificia sede oppida, urbesque ademisse, jam penitus Ecclesiam eversurum: videmus enim multos proditores, multos sedis Apostolicæ hostes cernitis: nemo nostrum in reditu tutus erit: hinc profectò mea sententia discedendum est. His dictis confusæ voces fuere, aliis alia judicantibus. Tandem visum est in tanto rerum præsentium discrimine nutantes Italiæ res principum posse fœdere contineri; & ad id Maximilianum Romanorum Regem, Ferdinandum & Elisabet Hispaniæ reges; Senatum Venetum ac Ludovicum Sfortiam Mediolanensem Principem idoneos esse. Missis igitur Legatis nova fœdera inter hos Principes circiter Kal. Aprilis icta fuerunt. At Senatus Venetus per Legatos suos adeo constanter hoc fœdus stabilivit: ut imperium

Valentinus Cardinalis.

Verba Pontificis ad patres.

Legatos ad Principes mittit.

perium omne pro Italiæ & Ecclesiæ salute facile expositurus esset. Regrediente autem Rege ex Neapoli Romam, cum intellexisset Alexander Pontifex, mox cum universo Concilio, quinto Kal. Iunias Roma egressus. Hieronymo Georgio Equite Veneto oratore suadente militibus, quos Venetus Senatus ad ejus tutelam paulo ante miserat circumseptus, in urbem veterem primo secessit. Deinde Perusiâ decreverat Anconam adire, & Venetias postremo navigare, si opus fuisset. Reverso denique in Galliam Carolo rege, & ibidem haud multo post defuncto, ac Ludovico Aurelianensi eidem regi surrogato; Alexander pristina formidine liberatus, plurima meditari cœpit, & ea quidem permaxima: quæ in præsens usque ad votum per omnia eidem successere. Nam Ludovico Vicecomite, Mediolanensium Duce captivato, in Galliis vinctum abducto, & ejus imperium ad Gallos perducto: nec non & parthenopeum regnum cum Galli denuo vendicassent; hic sapientissimus Pontifex cum Francorum rege & Venetis nova percussit fœdera. Quibus confectis exercitus magnos congregavit, & Valentinum Borgiam, virum impigerrimum, eisdem Ducem & Imperatorem præfecit;

Hieronymus Georgius eques & orator.

Ludovicus Sfortia capitur.

cit: qui congregatis omnibus copiis, primo cum omni cura contra Catherinam Viccomitem, Hieronymi Riarii Comitis relictam Principem expeditionem assumpsit: & cum legionibus tandem Imolam civitatem devenit. Quam penes Catherina in nullo perterrita, cum suo exercitu consederat, expugnavit. Vbi cum Valentiniana virtus videretur superior, Catherina virago relictâ Imolâ cum suis Forlivium se recepit, in qua è vestigio ab auctore obsessa fuit. quam cum aliquamdiu oppugnasset, & mirâ solertiâ se defenderet, in magnam penuriam rerum oportunarum deducta est. Verum tandem cum viribus Pontificis obsistere Catherina non posset armorum vi, post captam civitatem, & arce tormentorum ictibus lacerata, ab Valentino capta est; atque ipsâ Catherinâ captivatâ Romam missa: Pontifici viva præsentata est. Ex quo Pontifex ipse non aliter quam si permaximum superasset ducem gloriatus. His gestis, bellum contra Faventiam munitissimam Manfredorum urbem movit: quam demum post multas oppugnationes, cum magna suorum militum cæde obtinuit: (quæ tandem in Venetorum manus devenit:) & Hastorem puerum urbis Principem, ultro sese obla-

Catherina Forlivii domina capitur.

Valentinus Faventiam cœpit.

oblatum Romam ad patrem Pontificem in triumphi modum perduxit. His facinoribus tam egregie, tamque ſtrenue à Valentino confectis, Pontifex in admirationem ſui adductus, imo ſtupefactus; ipſum protinus cum auctoritate Apoſtolica, Ducali dignitate inſignivit: illumque Civitatum earundem, atque aliarum ditionis Eccleſiaſticæ urbium Principem declaravit. Dejecit itaque regulos omnes, quos prædeceſſores ſui Pontifices, maxime Clemens VI. annis centum elapſis, in urbibus Flamineæ & Vmbriæ, vicarios Eccleſiæ inſtituerat; videlicet Manfredos, Ordelaphos, Malateſtas, Feltranos, & Vareanos; & eorum Civitatum Valentinum Borgiam, jam Ducem & titulo ducatus decoratum Principem inſtituit. Hic etſi multas pecunias in bellicis ſumptibus, atque in donanda Lucretia filia quam copulavit matrimonio Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci, ſplendide erogaverit: nihilominus & in municula ſancti Angeli arce, quam munitiſſimam ultra modum ingenti impenſa reddidit, & in exornando divæ Mariæ majoris urbis Templo, cœlum ejus incredibili pulchritudine inaurando: vias quoque publicas Leoninæ urbis ſternendo: atque alia & alia in urbe ædificia inſtaurando: plurimas

Valentinus creatur Dux.

Ædificia ipſius commemorat.

mas pecunias nunc usq; erogavit. Multos etiam Cardinales hucusque creavit: inter quos fuerunt duo Veneti, Dominicus Grimanus, & Marcus Cornelius: Iubilæumque per universum Christianorum orbem à prædecessoribus suis institutum, in anno salutis millesimo quingentesimo honorifice celebravit. Tandem post multa bella in Italia ac in urbe gesta, XVIII. die mensis Augusti veneno periit; & apud sanctum Petrum ut decet Pontificem, magnâ funeris pompa sepelitur: quo mortuo vacavit Papatus mense uno, & diebus quinque.

PAPA CCXXIX. *Anno Christi* 1503.

PIus Papa III. hujus nominis, natione Ethruscus, patriâ Senensis, nepos Pii secundi, Franciscus Picolomineus antea vocatus; hoc annò x. Kal. Octobris Alexandro Pontifici suffectus, sedit diebus tantum XXVII. Hic vir tantæ modestiæ & integritatis fuit, ut omnium fere consensu Pontifex creatus sit. Et propterea nullâ injuriâ affectus, aut ignominiâ notatus fuit, propter temporis brevitatem: qui tandem moriens XV. Kal. Novembris, in beati Petri

tri Basilica sepelitur. Quo mortuo vacavit sedes diebus XIV.

PAPA CCXXX. *Anno Christi 1503.*

IVLIUS Papa II. hujus nominis, natione Ligurus, patriâ Saonensis: Iulianus à Ruere antea vocatus, Sixti olim quarti Pontificis ex fratre nepos; hoc anno millesimo quingentesimo tertio, pridie Kal. Novembris, ex Presbytero Cardinali tituli sancti Petri ad vincula, post Pium tertium Pontificem creatus est Pontifex: sedet autem usque in præsentiarum anno uno & mens. II. & diebus XXIV. Vir certe bonus & tanto principatu dignissimus; qui Pontificatu suscepto, omnia quæ ad religionis Christianæ dignitatem pertinere arbitrabatur, curioso circumspexit animo: maximéque circa Ecclesiæ pertinentia: mira usus est pietate, si prudentiam, sapientiam, consiliumque, quo plurimum valet inspicias. Iustitiâ vero atque Clementia insignis habetur, ut difficile judicetur, quâ in re majorem permereatur laudem. Fuit enim bonarum literarum scientissimus: ac virorum doctorum observantissimus, quos undique perquisivit, eos quoque semper ubicuuque

cunque & pecuniâ & beneficiis mirifice juvit ac fovit. Tali namque Pontifice indigebat Ecclesia Dei, qui Petri naviculam vitiorum fluctibus diu acritēr quassatam, redigere in portum salutis sciret & posset: quem speramus diu Petri Apostolorum principis vestigia esse imitaturum.

Iohannes Stella *Venetus, divæ Mariæ formosæ Sacerdos, Antonio Suriano Patriarchæ Venetiarum reverendissimo salutem plurimam dicit.*

Posteaquam opus de Pontificum vitis, nuper à me confectum, illudque tandem divino auspicio editum, Reverende Præsul, Dominico Grimano S. Marci Cardinali dignissimo dedicare decrevi: visus sum etiam ob tuas immortales virtutes, pro quibus semper te, ut patrem, incredibili amore amplexus sum, de his nostris lucubrationibus, qualescunque sint te participem facere. Non quidem ut idoneum me existimarem: sed ut cæteri omnes intelligerent amoris erga te mei tantam fuisse vim, quā nunquam tibi negare possem.

Ex ſtyli autem hujus noſtri operis varie-
tate admirabitur fortaſſe tua R. D. nec
non & cæteri, dicentes: ubi nam hæc
ſermonum diſparitas: pro qua etiam ab
eruditis veniã reprehẽdendus. Ad quos
ego:quia non eadẽ ſemper mihi in ſcri-
bendo fuit voluntas:atq; quod multa ex
aliis ad verbum excerpſerim,pluris hi-
ſtoriæ veritatẽ faciens,quam verborum
elegantiam. Ea enim verba mea, etſi e-
ruditis videbuntur inepta, ſpero nihilo-
minus, ſi cum matura diſcuſſione fue-
rint examinata, non parvum fructum ſe
percepturos. Fateor quidem, atque
Deum meum teſtor, me non falſa pro-
poſuiſſe: cum nil tam contrarium ſit
hiſtoriæ quam mendacium: nugæ in fa-
bulis, in hiſtoriis vera: & ſeries ſum-
mopere ab omnibus quærenda eſt. De-
mum R. D. tuæ innoteſcat me de indu-
ſtria plura prætermiſiſſe, pericula un-
dique præcaventem: maxime in his no-
viſſimis temporibus geſta, quæ ſine
quorundam nota ſcribi non potuiſſent:
potiſſimum cum præſentia diſcrimina
Scriptores elangueſcere plerumque fa-
ciant, cum ſint plurimi, qui veritatem
æquo animo audire nolint. Poſteris au-
tem cætera ſunt relinquenda, qui aper-
tius ſine motu & nota ſuas hiſtorias
ſcribere poterũt. Noſtra igitur ſimplici-

tate

tate contenti has Ephemerides contractius, expeditiusque conscripsimus; & ea quidem non tam diligenter, quam libenter efficere curavimus: ne mirabilia nostris temporibus in Italia gesta: nostrâ negligentià posteritati supprimerentur. Ea itaque qualiacunque sint, hilari fronte suscipere non dedignaberis: nam nihil tam parvum cuditur, quod gloriam aliquam non pariat. Me R. D. tuæ humiliter commendo. Vale XI. Kalendas Februarias.

FINIS.

Seneca
&
Pontif. Vit.
&
Rhetor.
Rad.